~~D. VII. 52~~

APODIXES, SIVE DEMONSTRATIONES TRES HORRENDARVM BLASPHEMIARVM ECCLESIAE A CALVINO REFORMATAE, CIRCA tres primos Symboli Catholici Articulos,

ADVERSVS CONRADVM VORSTIVM CALVINISTAM PRO Credo Caluiniſequarum,

PER BERNARDVM Dörhoff conſcriptæ.

Prouerb. 26.

Reſponde ſtulto ſecundum ſtultitiam ſuam, ne ſibi ſapiens videatur.

MONASTERII VVESTPHALIAE
Typis Lamberti Raſſfeldt.

ANNO M. DC VIII.

ENtibi Lector beneuole, Apodixes tres horrendarũ blaſphemiarum Caluiniſticarum, quas etſi in lucem prodire oportuerat ante apodixin nuper editã qua demonſtrauimus quod Caluiniſtæ non ſint Auguſtanæ confeſſionis: id tamen eo conſilio factum non eſt, quo, ſi quid aduerſarius Vorſtius in publicum protruderet cõtra ſcriptum meum vernaculũ, **widerlegung der Caluiniſchen Abfertigung** /&c. in quo Caluiniſtarum Deum ex Caluini doctrina eſſe diabolum docueram id vna eademq; opera hoc in opuſculo refutarem. Verum ille tacet ab anno & amplius ad omnia, tacendoq; velut irrefutabili veritati conſentire videtur, vt fruſtra reſponſum de cætero ſim præſtolaturus. Accipe igitur nunc breuiter huius laboris mei rationem & ſcopum. Apodixes inſcripſi, quod & ſyllogiſticam in argumentando formam breuitatis claritatiſque gratia ſim ſecutus, & materiam ſiue propoſitiones neceſſarias euidenteſq; ad aſſenſum mentis extorquendum adhibuerim. Hæc ad veritatẽ oculis ſubijciendã via viſa eſt expeditiſſima tritiſſimaq; veri ſtudioſis. Interrurrerunt nihilominus quandoq; nonnullæ quaſi digreſſiones ad Prędicantẽ eiuſq; ineptias explodendas, ſed eę non tã ſunt excurſiones quàm neceſſariæ quædã calumniarum, fraudum, mẽdaciorum Vorſtianorũ detectiones:

quibus stulto respondere secundum stultitiam suam oportuit, ne sibi suisq; similibus sapiens videatur. Pertexuit ille in tribus prædicanticis apologijs (rectius alogijs antilogijsq; propter insulsas contradictiones) spissos multiplicium criminationum centones, ijsq; modios & trimodios conuitiorum ac sannarum in Societatem Iesu primum, post etiam in me (in kurtzer Abfertigung/ꝛc.) cõtortarum inculcauit. Quare æquum fuit malè texta retexere, & non ad alium quam suum authorem relegare, vt qualis quantusq; sit quà calumniandi, quà mentiendi arte peritiaq; Doctor Conradus Vorstius omnibus per VVestphaliam maximè Germaniamque magis innotesceret. Sunt illi Iesuitæ *noui Pharisæi*, *Hypocritæ*, *Sophistæ*, *sui Patris* (*qui ab initio homicida fuit & mendax*) *indolem referentes* §. 1. quique *in omnes palam dissentientes Reges & Principes aperta vi grassentur*. §. 3. *qui rem omnem mendacijs calumnijsque gerant*, ibidem, *mancipia alienæ libidinis*. §. 5. *Monachi meretricia fronte*, *quos omnino depuduit*, *adeo vt nihil tam infame sit quod tentare non ausint*, *ipso etiam Stygio Plutone audaciores*. §. 11. *viri nec politicè saltem probi*, *qui de luculentis mendacijs non erubescant*. §. 10. disp. 2. *qui mentiendi priuilegium acceperint ab Antichristo*, ibidem, *quorum voces infernalis cerberi sint latratus*. §. 71. disp. 2. *qui iam nunc insaniunt & furunt* §. 98. disp. 1. *in quos quadret illud: Increpet te Deus Sathan*. §. 98. disp. 1. & §. 71. disp.

disp. 2. mitto reliqua. Ast ego illi sum (vt cum ipso vernaculè loquar) ein Vogel mit dem krummen Schnabel/ ein Jesuitische Creatur/ Speyvogel/ Schimpff: vnd Spottvogel/ armseliger Baalsknecht/ Baalit/ Vnflat/ Rollenbatz/ Bachant/ Baccalaureus in der Sophistenkunst/ Schmeichler/ Lodderbub/ Schandtbub/ ein vngerahtener elender Baccalaureus/ ein vergessener Mañ/ Tölpel/ Schandvogel/ &c. Qui quæ vult dicit, quæ nõ vult audiet ait Comicus. Audiat igitur etiam maledicus Caluinista suas sibi pseudologias, insciti as blasphemias in os caputq; suum regeri, & audiat si potest patienter, nec illico fremat si vlcus tangi sibi persentiscat. Fit id non ex præcipiti effreniq; quadam, qualis eius in scripto relucet, vlciscendi libidine, sed solo defendendæ veritatis contra atheos Sacramentarioscq; amore: non ex lædendi cuiuspiam intentione, sed studio auitæ religionis aduersus Caluangelicos reformatos eorumque impietates ter execrandas propugnandę: non diuexandi, sed sanandi aduersarij cupiditate. Quo nomine, vt hæc ex præfatione, quam ad Lectorem medacijs infarsit, sumpta expendat, moneo. Primum qua conscientia scribere potuerit: *à conuitijs autem & maledictis omnino studiosè per Dei gratiam temperauimus.* an à conuitijs temperare est plaustra maledictorum antè recensitorum in alios effundere? aut à calumnijs abstinere,

Mendacia Vorstij in Præfat. 1.

Vorstium sibi à conuitijs temperasse.

est, omnibus pene pagellis paragraphisq; non petulanter minus quam mendaciter in aduersarium debacchari? Tolle ad nauseam vsque falso inepteq; iteratum in toto libro, mendacij nomen; tolle aculeatas in aduersarios voces, liber, etiam Caluinisequarum iudicio, non erit liber, sed inconcinnum, elumbe, breuiculum schediasma vix pro pauculis suffecturum inuolucris institori. Deinde vt & hoc eadem ex præf. expediat, postulo, *Norent illud quod in disputatione publicè dixerunt, non peccat qui occidit excommunicatum.* Nō hoc à quoquam somniatum dictúmue est, sed illud ad illustrandam materiam propositam est allatum: Bannitum siue banno innexum imperiali, legibus id cōcedentibus sine scelere posse à quolibet interfici, prout doctores vno ore asserunt, Syluest. cum summistis in summa verbo Bañum. Bart. in l. amissione §. de ea, alijque. Verum vt haberet quod momus arroderet, collibuit Prædicanti cum suis emissarijs optimè dicta Caluinisticè vertere & peruertere, procudereque è Pontifice (cuius est excommunicare, vt nunc loquimur) Imperatorem, ex banno politico cōflare excommunicationem Ecclesiasticam, à solio sæculari volitare ad cathedram Romanam, & summa imis, sacra profanis Caluinistica arte miscere. Tertiò vt hoc etiam comprobet, requiro, quod ait: *Iesuitas orthodoxorū sitire sanguinem tam est certum quam solem*

2. Mendac. Ex bannito Vorstius procudit excommunicatum.

3. Mendac. Iesuitas sitire orthodoxorum sanguinem

solem meridianum lucere. Vide Bellarm. de laicis cap. 21. & 22. quid enim est Iesuitas sitire sanguinem? an dicere & docere: hæreticos incorrigibiles & præsertim relapsos, ab Ecclesia reijci debere? at dixit docuitque hoc vniuersus Doctorum Ecclesiæ Catholicæ cœtus; dixit docuitq; hoc ipso etiam opere Ioannes Caluinus, quando & libellum edidit ostendens licitum esse in hæreticos animaduertere, & lento igne Michaelem Seruetum Geneuæ exussit: dixit deniq; idem, docuitq; cum Beza in lib. de hæreticis à Magistratu puniendis Benedictus Aretius Sacramentarius in historia de Supplicio Valentini Gentilis à Bernensibus, propter opiniones nouas è medio sublati. Si proinde sitiunt sanguinem Iesuitę, quia hæreticos incorrigibiles reijciendos ab Ecclesia astruunt; eundem ipse cum suis sitiat adeoque potet Sacramentarijs est necesse, idque eo ardentius quo plures in Gallia, Anglia, Scotia Catholicos nefariè multis iam annis interemerunt. Quartò etiam illud velim explicet, quod inquit: *Eosdem in Gallia nefaria quædam molitos esse, satisq; aperta vi grassatos in Reges & Principes, teste tota Europa, & Gallia inprimis.* Quæ enim nefaria ista quę perpetrârunt? quod illud testimonium, quod contra eos Franci exhibuerunt? Ego columnam Parisijs inuenio cum hac inscriptione.

4. Mendac. Iesuitas nefaria molitos in Gallia.

Inscriptio columnæ Parisiensis.

HENRICO IIII. REGI
Christianissimo, inuicto, ob pacatum & auctum regnum, restitutam Societatem Iesu, fundatum, vbi natus est, regium Borbonium Collegium ampliss. propagatam pluribus alijs eiusdem Societatis Collegijs Catholicam fidem, ac deniq; euersam calumniæ molem
Gallia vniuersa.
æternam pyramidem
cor suum dicat.

EN tibi mendaciſſimis mendacior, impudentiſſimiſque impudentior Prædicans, *Galliæ de Societate Iesu* iudicium: & tu nefaria Ieſuitis ratione Galliæ obiectas? adeóne frontem omnem perfricuiſti, vt etiam in lapides & columnas incurrere nõ pertimeſcas? vt conſpicuis orbi toti pyramidibus obloqui non reformides? ſis lithinus lapideuſque licet verbi miniſter, hæc te tamẽ pyramidalis moles cum omnibus tuis calumnijs opprimet & conteret. Quid enim? Gallia vniuerſa (audin' maledice obtrectator?) Gallia vniuerſa dicat. Cui? Henrico 4. Regi; illi ipſi regi quẽ tu cum tuis Caluiniſequis mentiris Ieſuitarũ inſidijs ad mortem expetitũ, cuius in caput à Ieſuitis vibra-

vibratas ſicas cũ Litho Miſeno cõminiſceris, in quẽ aperta vi graſſatos Ieſuitas etiamnum impudenter calumniaris. Dicat Gallia Regi. Quid? Pyramidem. vt te cum verbi Miniſtris Societatis laudes tacente lapides loquantur, eaſq; in cœlum tollant, dum tu neruis omnibus ad infernum vſq; illas deprimere machinaris: vt te à vermibus corroſo, vel in puluerem redacto, hæc ſuperſtes tuam mendacilo-quẽtiam apud poſteros perſtringat. Et *dicat ob reſtitutam Societatem Ieſu* in collegia, è quibus technis fraudulentiſq; Caluiniſtarum conſilijs ad tẽpus fuerat excluſa: *Ob fundatũ* Flexiæ, vbi natus eſt rex *regium Borbonium Collegium ampliſsimum: ob propagatam* in Gallia Caluangeliſmo exterminato *fidem Catholicam: ob euerſam calumniæ molem* à tuis Hugonottis ſuſcitatam. Intellextin' iam prædicans fumiuende, quod vniuerſæ Galliæ ſit teſtimonium de Societate? Gallia non dictat diſcerpẽdum auris; ſed dicat Regi monumentum ære perennius futurum *propter Societatem Ieſu reuocatam.* Vbi? Pariſijs dicat: in emporio literarum ſcientiarumq; totius Europæ celeberrimo; quo omnium ex orbe toto doctorum ſtudioſorumque oculis perſpecta, exſcriptaque, per omnes orbis oras diuulgari citius poſſet. Vbi? in foro Pariſino, in conſpectu vrbis longè maximæ, frequen-

tissimæq;, ante ora non indigenarũ modo, sed & conuenarum ac mercatorum vndecunque affluentium, vt æquè peregrinus, ac ciuis integritatis religiosę haberet indicium. Vbi? in illo ipso vestigio, in quo calumniæ moles hęserat, vt victrix veritas vbi passa fuerat antè, ibi pòst vanitatem mẽdacitatemq; detriumpharet Caluinisticam. Vis nosse quantum hic triumphus effecerit? dicam, sed caue, ne inuidiâ tibi rumpantur ilia, accessere ex eo tempore vndeviginti collegia noua absoluta iam, fundataque; plura vero sunt inchoata de cætero consummanda. Abi iam & quæ impingis Societati Iesu nefaria quære apud Pultronium Caluinistam Gvvisij Patris patriæ perfidum interfectorem, vt docet Surius in commentario & cum eo Genebr. an. 1562. apud Consistoriantes Geneuæ collectos & consultantes de Francisco 2. rege Frãciæ, regina vxore, regina matre, ciusq; liberis & proceribus per insidias trucidandis (vt an. 1560. notat Genebr. lib. 4. Chrõ. Surius eod. an.) Beza principe, Caluino authore, Ottomanno subsignatore, Spifamio suasore, omnibus Galliæ prædonib. & laniatis cõscijs: apud furibundos Hugonottorũ exercitus, de quib. hist. testis est nullas gentes quantũuis immanitate barbaras, nullã pestẽ quantumcunq; exitiabilem, nullos cataclysmos & illuuiones aquarũ etiam omniũ maximas, plus detrimentorũ cladiumq; attulisse Gallię, quã Caluinismum, qui viginti millia templorũ in

Societatis Iesu in Gallia noua Collegia.

ea

ea excidit, qui duo & quadraginta millia Clericorum crudeliter anno 1562. sustulit, qui infantes per matrum viscera lancinauit, qui matres virgineſq; per puluerem tormentarium (prô pudor) in vterum iniectum incensumq; medias disrupit. qui 10 añis vix integris, vicies centena hominum millia in Gallijs (horrendum cogitatu) teste Colignio Hugonotto neci dedit. Hæc memora de tuis nefaria & verax eris, ne in alienis calumniator impudentissimus habeare. Quinto & hoc edisserat, quod addit: *eosdem in Anglia aperta vi in reges grassatos.* Neque enim qua veritate id affirmari possit satis intelligo. In Angliæ Reges Principeſq; aperta vi grassati sunt Iesuitæ? quos illos? quibus annis? qua ex causa? crimen est læsæ maiestatis in regium diadema coniurare, hoc crimine grauius est in regem arma corripere, quid dicam aperta vi in ipsius vitam grassari? non potest tantum scelus diu in obscuro permanere historiæ, lippi, tonsores id agnoscunt & spargunt. In quos igitur Reges grassatos Iesuitas historijs & testibus fide dignis prædicans demonstras? nullíne Britanni, Galli, Germani rem tantam literis prodiderunt? nullúsue de ea bonus probatusque scriptor quicquam in lucem extulit? quid ad vnum omnes testes prætermittis, tantumq; affirmas Iesuitas Europa teste in Angliæ Reges grassari? Voces istæ sunt, quales plurimæ formantur à prædicãtibus, in lingua natę, & cũ sono req; significata in aëre intermortuæ. Testes volum-

5. Mendac. Iesuitas in Angliæ Reges aperta vi grassatos.

& eos graues omniq; acceptione dignissimos; Regem volumus, eumque certum, in quem aperta vi insurrexerint; tempus poscimus, idq; definitum, vt de tam immani flagitio omnia sint nobis explorata. Quem igitur, quem inquam, regem aperta vi appetierunt? Eduardúmne Anno 1553. 6. Iulij morte extinctum? at ignoti per id tempus in Anglia Iesuitæ in nullius machinationis contra eũ suspicionem venerunt. An Elisabethę Reginæ bellum mouerunt? nec istud, vt quæ edocta, & Parrij cuiusdam in torturis testimonio, & literis Patris Critoni 10. Kal. Martias ad Parrium datis, toti suo regno sit testata Critonum Iesuitam Parrio meditatum in Reginam scelus dissuasisse. Eius vox ista fuit; Iesuitas prædicantibus authoribus audire quod velint Regibus malè, sed reuera ipsos facere ijs optimè. Idq; ex impressa ipsius Critoni Epistola perq; regnum sparsa ab omnibus voluit intelligi. Fortassis Iacobi illi, q modo regnat in Britañia, Regis sanguinem profundere attentauerunt? Sed & ab eo scelere cõiurati omnes clàm, palàm, extra & intra quæstiones suppliciaq; in carcere illata ipsos excusârunt; illud identidem attestãtes, se ne quid ad Iesuitarum aures hac de re manaret studiosissimè cauisse, quod nihil dubitarent, quia si resciissent, omnes coniuratorum molitiones disiecissent. De quib. copiosius Iacobus Gretserus in stigmate Misenico.

Elisabeth Angla Iesuitas absoluit à crimine.

Coniurati celârunt Iesuitas sua consilia ne illa impedirent.

Ve-

Verum relinquamus quę ab eo eleganter sunt perscripta: nec odiosè iam Caluinianis ingeramus, vel q̃ illius ipsius Regis Iacobi patrem in Scotia perfidè suffocârint, subiectoq; puluere cum ædibus in quas dormitum cõcesserat, per aëra disiecerint. Genebr. An. Christi 1567. vel quod eius matrem Reginam sanctissimam innocentissimamq; crudeli capitis supplicio in Anglia obtruncârint (lib. supplicium & mors Marię Stuartæ) vel quod hũc ipsum Iacobum, & Sterlini in arce An. 1585. obsederint, quasq; vellent ipsi leges acceptare compulerint (lib. Lugduni Batauorum impresso per Andream Vorscoutium) vel quod eundẽ An. 1600. sanguinarijs suis manibus propè strangulârint, quando ægrè suorũ auxilio ex Alexandri Rueni fratrisq; eius brachijs fuit eluctatus. Mercurius Gallobelgicus Tom. 4. An. 1600. Non decet tanti Regis hac in re testimonium dissimulare, vt quem suspicere se maximè verbi ministri dictitant, eius verbis non Iesuitas, sed prędicantes Caluinistas Regibus graues & exitiosos esse intelligant. *Puritanorum* (inquit Rex in præfatiõe libri de regia institutione) *& præcipitum quorundam concionatorum mores & humores perstrinxi, qui magnæ sibi laudi ducunt, si quando ipsis regib.* (arrige aures Prædicans) *litẽ intentent, & ipsa regna nimis seditiosè perturbent.* Et lib. 2. Hannouię fol. 86. impresso An. 1604. *orti sunt quidam igneæ naturæ concionatores* (furiosi prædicanCaluinistarum molitiones contra Regem in Anglia.

Angliæ Regis testimonium de Caluinistarum prędicantibus.

cantes Caluiniani) *qui eo potentia apud populum prouehebantur, vt dulcedinem iã imperij deguſtantes inciperent, neſcio quã Democratica Reipubl. formam ſibi ſomniare, & cum iam temporum iniurijs & aui & matris meæ calamitate, ſatis opimam prædam nacti eſſent, pupillaris etiã ætatis meæ libertate ad ſuam libidinem abutentes, ita opinionis errore in illa Democratia ſe fundârunt, vt certam ſpe tribunitiam planè poteſtatem ſibi deuoraſſent.* Et poſt pauca. *Ex illo tempore, nunquam aliqua ſeditio orta eſt, quin illius factionis anteſignani ſollicitè id agerent, vt turbulentos hos cõcionatorum* (Caluiniſtarum) *Spiritus, ad ſuas partes pertraherent, quorum patrocinio res gererẽtur. Hinc etiam ſæpius in concionibus & pro roſtris me laceſſunt, nõ alio nomine, niſi quia Rex eſſem, quo nullum maius malum eſſe exiſtimârunt.* Satin' hæc ad obedientiam reuerentiamq; reformatorum prædicantium erga Reges oſtendendam? Nequaquam, ſed addit; *aliquoties illud effutiuerunt: Omnes Reges & Principes vel natura Eccleſiæ libertati eſſe infenſiſſimos, neq; vllo modo Chriſti iugum ferre poſſe. Caue ergo ſis, mi fili, ab iſta Puritanorum ſecta tanquam à vera Eccleſiæ & Reip. peſte.*

Caluinoprædicãtes amant Democratias, in quibus ipſi per cõſiſtoria ſua dominentur.

Caluiniſtis malum eſt eſſe Regem

Reges non poſſunt ferre iugum Chriſti Caluiniſtis.

Appella iam Prædicãs Caluiniane, appella ad potentiſſimum magnæ Britanniæ Regem. habes eius de te tuiſq; ſententiam inſcriptã libris tota Europa vulgatis. Tu cũ tuis es, qui Reges Principeſq; & Comites in ſcholis pulpitiſque veſtris proſcribitis, qui vt tyrannos Eccleſiæ infenſos è regnis eos exturbare contenditis,

qui

qui Deo illos aduersari proclamatis. Sic enim quem complecteris Bucerus: *Qui vnius* (Comitis, Principis, Regis) *in Republica expetunt principatum, ordinationi diuinæ resistunt.* Nec multum ab eo discrepat Zvvinglius scribens, *quisnam gentium non dicat Aristocratiam & popularem statum Monarchiæ* (Imperatorum & Regum) *anteponendum?* idem illud libro integro contra Monarchiam exarato ostendere conatus est Hieronymus VVolfius, & cum eo Buchananus in opere contra potentiã authoritatemq; Principum impudentissimè scripto, atq; à Iacobo Angliæ Scotiæq; Rege, quibus erat dignum, flammis tradito. Noli moneo deinceps Regum interneciones *Iesuitis* opprobrare, vt non audias tuos esse, qui secundum noui Euangelij doctrinam suos auditores in Principum odia, euersiones, & cædes impellunt; à quibus meritò Reges, Principes, Comites sibi suæq; posteritati timeant. Sed ais: *Liber cui titulus Ingenua & vera oratio ad Regẽ Christianissimum nefaria molitos esse testatur.* Respõdeo: ingenuus non est, cui probatur hæc oratio vt ingenua; quæ Cocyti è tenebris proserpés, nec patrem, nec matrẽ, nec patrium solum audet profiteri; quę authoris caret nomine, typographũ à quo sit impressa, ignorat: locũ vbi lucem primum aspicere cœpit, dissimulat: quam nescias Mammolucus, an Apella quispiã recutitus, lena an lupa, sagáve, catillo an circulator in publicum protruserit. Currucam aiunt suppositicia cuculi

Caluinistæ proscribũt Imperatores, Reges & Comites.

Prædicantes suas currucę.

cuculi oua pro suis fouere excludereq; nil nisi curucæ quædam estis vos Prædicantes, qui simul ac lucifugus aliquis veterator vel sannio (quem putidarum suarum ineptiarum scurrilitatisq; & ob id nominis libro prefixi pudet) in Societatem Iesu libellum mendacijs & coccysmis refertum peperit, ad eum vos applicatis, illũ sinu fouetis, ornatis, obtruditis populo in cõpitis nõ minori copia, q̃ vel in China, vel Aegypto Alcairi, pulli ex ouis ab igne fotis maturatisque in foro vænum exponantur.

Philippica Syluani crux Caluinistarũ.

Attexuisti in tralatione germanica, Admonitionẽ fidelem ad Principes Magistratusq; Christianos sparsam à tuæ farinæ Logodædalo, ab homine & honoris, & nominis experte. Sed caue ne quid nimis hoc cum teste triumphes, Iam pridem enim à Iacobo Syluano adeo miserè *in Philippica est exceptus, vt elumbis*, exdorsuatus, & exenteratus omnes prædicantes ad sui commiserationem moueat. premit ille, stringit, iugulat, exossat misellum admonitionis consarcinatorem, totamq; eius mẽdacem admonitionem; & tu cum eo ad testimonium dicendum in publicum prodis? non times ne iterum vapulet, & tu simul cũ eo ad scalas Gemonias abripiare? Lex enim est in Authent. l. Sancimus: vt obscuri & ignoti testes, non nisi cum tormentis & verberibus admittãtur. Sed pergis: *DeVVintero, Fauckio, Critono nos aliud nunciũ accepimus.* Amabo te, mi præco verbi, edic,

qui

qui sunt isti (Nos) qui aliud nuncium acceperunt? an vis: nos verbi ministri, Aij, Locutij Maximi, Fabulini Maximi, Cretici Maximi, Tragici Maximi, Archilochij Maximi? factũ benè: res omnis salua est: Fabulinos fabellæ, Cretas mendacia, Tragicos & Archilochios nõ nisi tragicæ fictiones & calumniæ decent. Similes habent labra lactucas. Vos nunciũ accepistis? cuiusmodi? petasatum an penulatum? grallatum an ocreatum? olympicum an Orciuum? quis id ad vos ablegauit? quis vestrũ excepit? quas circumstantias fidei faciendæ recẽsuit? ex publicisne tabulis est transumptum, vel a febriente aliquo & inimicante Caluinisequa ꝓfectum? Nemo sapiens credit etiam iuratis vobis Caluinoprædicãtibus, vt qui sępius in mendacijs sitis oppressi: Vos nuncium accepistis? Quod? aliud quã Catholici? Sed vide ne sit germanũ ijs, quæ aliquot abhinc lustris cõquisijstis à mulierculis ad pẽsum insomnia sua narrantibus. Cum ageretur añus 1586. post natum Christum per Germaniam sparsistis fabellã typis excusam sine authoris chalcographiq; nomine, de tribus Iesuitis è Moguntino Collegio in Poloniam à Serenis. Rege Stephano Battorio accersitis, sed ob immania scelera captis ad Nilum, sublatisque in rotam. Credidit principio vobis tanquã barbatis suis magistris mobile vulgus; sed vbi & Rex ipse veri studiosissimus, & Episcopus Cracouiensis Petrus Miscauoski, & Generalis Capitaneus Nicolaus

Mendacia aliquot de Iesuitis

De Iesuitis in rotam actis.

zebozudouuski,& senatus Consulesq; Cracouienses publicis literis sunt testati falsa esse omnia, & ne quidem locum sciri in Polonia quem Nilum vocarent Sarmatę, vestra mentiendi libido palã innotuit. Habes hæc quatuor testimonia publica Mogunt. impres. an. 1586.

2. Mend. Nõ multo post an. 1594. equitem Polonum fictitium per Europam emisistis nuncium, qui phaleratis quibusdam cõmentis & mantica egregiè calumnijs suffarcinata Societatem Iesu infamaret. Sed vix longius abequitârat, quando per Rhetores Polonos elegantissimis perorationib⁹ ad equuleum retractus, cõuictusq;

3. Mend. falsi est. Iterum anno 1597. more vestro nunciũ subornastis, sed adeo insulsum & crassum,

Iesuitæ Regem Poloniæ, qui adhuc viuit morti tradunt. vt Sarmatæ *viciniq; mirati sint*, terram adeo mendaces homines ferre. Peruulgastis Regem Poloniæ Iesuitarum culpa prælio fusum, fugatũ, suspensum, cum tamen ille non tum tantum, sed etiamnum viuat & floreat vobis dolentibus, & nihil non cõtra eum molientibus. Verum cum parum bonis auibus Polonici isti nuncij vestri excurrerent per prouincias, ex

4. Iesuitæ Comitem Mauritiũ occidere volunt. Batauia pegasos & veredarios exciuistis, & anno 1598. Leidense mendacium de Petro Pan per Iesuitas in Comitis Mauritij caput submisso, per Franciam Alemanniamq; venditastis. Sed & eũ nuncium ita excussit Franciscus Cofterus allatis nobilissimarũ vrbium Antverpiæ, Bruxellarum, Duaci authenticis testimonijs, vt quo dignus erat, lumbisragium sit perpessus,

pessus, vixq; reptando ad suos reuerterit. Neque tamen id terruit tuos Caluinisequas Hollandos, rursum alium ablegârunt, qui de Madridiensibus Iesuitis bona noua ex Hispania afferret pro sacramẽtarijs. Sed is omnium ineptissimus nec de quibus, nec quid afferret intellexit. Volebat Iesuitas inter se gladijs cultrisque Madridij cõcurrisse, primumq; omnium suũ mactâsse Guardianum; & prę stupore non aduertebat, apud Iesuitas nõ esse Guardianos. addebat deinde 170. mutuis se vulneribus cõfeciſſe, cum tamen vix vnquam illa in vrbe ad 70. simul cõmorati fuerint ex Societate. Non pudet te tuosq; Prædicans, horum tam putidorum nunciorum? Quid amplius expectas? vis vt huius generis tabelliones Caluinisticos plures producã? Recordare qꝑan. 1601. ad nũdinas Frãcofurtenses amandastis scriptum (vt soleñe vobis est) sine impressoris vel scriptoris mẽtione de Patre Henrico Mangot in foro publicè exusto Antverpię, cuius decempedalis mendacij impudentiam satis ea ciuitas admirari nequiuit. Lege si placet publica hac de re testimonia amplissimi illius emporij ad finem libri de arte mentiendi Caluinistarum. Non immorabor in reliquis, hoc ipso die quo hæc conscribimus à reformatis tuis Mercurijs edocti complures per VVestphaliam, Hassiam, Saxoniam aliaque loca non rumoribus tantum, sed etiam confictis diuersis cantilenis per plateas celebrant, aliquot Iesuitas

5. Iesuitæ Madridij in Hispania se mutuo occidunt.

6 Iesuita exuritur Antverpiæ.

Monachij in Bauaria crudeliſſimi homicidij aliorumq; infandorum ſcelerum cõpertos, de quibus tamen nihil Monachienſes, nihil Sereniſs Bauariæ Princeps Maximilianus, nihil vicini Monachienſibus cognouerunt. Vide Colonię excuſa hac de re warhafftige vrkund der erſchrecklichen zeitung von den Jeſuitern zu München. Sed benè eſt quod ipſi authores huius mendacij inter ſe nõ conſentiant. Vnus eorũ violatam contrucidatamq; à Ieſuitis mulierem, dictã vult Chriſtinam. Sed ei reclamat alter appellatamq; contendit Eliſabetham: Vnus vnius tantum, duarũ alter, tertius ſedecim oppreſſarum meminit: vnus Ieſuitas duos, alter tres, quinq; tertius ponit: duo aiunt mulierem laqueo ſtrangulatã ab ijs, at tertius ſecuri caput illi cõminutum. Vnus eorum ſepultam mentitur poſt altare, alter in fine templi, tertius raptam ad ſepulchrum concameratum: apud vnũ infantulus ex vtero matris occiſæ exciditur, baptizatur, viuit ad dies 14. apud aliũ dũ puella mactatur, ex morientis aluo infans prolabitur, ſed prolapſum diſcindunt Ieſuitæ deuorantq; cor, cætera porcis obijcientes: Vni ad tertiam matutinam, alteri ad mediũ noctis omnia cõtingunt. Ab vno benè potus ſub noctem in tẽplum Ieſuitarum inducitur nuncius; ab altero veſperi audiendæ cõcionis (quę nulla anno toto habetur ad veſperam) veniſſe memoratur. Vni viſum eſt probabile, ſi fingeretur filia hoſpitis ad quem diuertiſſet nuncius, alteri

Mira harmonia reformatorũ in narrãda fabula.

alteri placuit alterius Monachiensis ciuis dicere natam. Vnus captiuos Iesuitas ad tribunal trahit Senatus, alter ad Decanum (quem non habent) Iesuitarum, vbi candentibus forcipibus discerpũtur (vt duo cõcinunt) deglubuntur excisis è pelle ligulis, & in rotas tollũtur. Sed tertius eos effugisse testatur. Deinde vni hæc Monachij gesta sunt año 1607. 10. Ianuarij, alteri 23. Ianuarij, at 23. Martij tertio. Quam lepidè hæ lexes cõpositæ vt tesserulæ omnes Endo pauiméto. Me dies deficeret, si quæ alia his añis nuncia ad hanc vnã vrbem detulistis, consectari vellem. Tuę fæcis homines famam illã concitârunt de Pastorum 4000. alijsq; Iubilęi prętextu in ciuitatẽ inuitatis per Iesuitas, vt sub hoc pietatis velo vrbem caperent. Tuo de grege homunciones metus illos de incendijs, diuersis in partib. huius vrbis cõcitandis per eosdẽ Iesuitas, populo Monasterienſi incutere voluerunt; tuę sectæ seminiuerbij fictitijs armis inerme collegium his & alibi sæpius cõpleuerunt. Sed parum multo iã tempore proficitis. Etiam vera dicẽtibus (quod tamen facitis rarissimè) non creditur, ex quo tot in mendacijs estis deprehensi. Obstupescunt Monasterienses per reformatos scilic. Alcmariæ in Hollãdia an. 1588. scriptum esse impressum sub nomine Consulum Senatusq; Monasteriensis, quo sepulchra in summæ ædis cœmiterio memorantur aperta, & tria ipso die Paschę resurrexisse corpora, quæ extremum diem

Fabulę Calunisticæ in VVestphalia.

Mendaciũ Alcmarien se palpabile manib9, de Monast. magistratibus & ciuibus.

2. Mendac. de ijsdem.

magno clamore prædixerint. Mirantur & Iohannem Iacobũ Splinter VVesaliæ, & Ioannem Theunissen Leidæ typographos euulgasse, natũ Monasterij an. 1603. puerum pube tenus, cętera serpentẽ, qui collaribus acupictis ornatus, mira de imminentibus hominum mortalitatibus sit vaticinatus simulac fuit natus. Non capiunt inauditam illam vestram Nouangelicorum ad mentiendum audaciam, qua & typis & figuris imaginibusq; appositis sparsistis anno 1602. Calẽdis Ianuarijs media nocte tres soles (mirum si diem non effecerint) supra Monasteriũ apparuisse, mulieremq; vno partu quatuor visu horrendos infantes enixam, qui mira prædicauerint (fortè quia prædicantium erãt filij) licet imaginarij. Vtq; mendacio color accederet, hæc permissu Consulum, Iudicum, & Senatorũ per Fabianum Lobman parochum (quo nomine ab vrbe condita nulla in parochia pastor extitit vllus) conscripta, excusaq; per fictitium Leonardum Müller typographum Monasterij VVestphalorũ asseueratis. Quę ista vestra planè infernalis mentiendi ,,pteruia? quis hic furor? truncósne aut fungos omnes existimatis, vt tã crassa mendacia vestra non animaduertant? Apagete cum Bubangelicis istis nuncijs, dignissimis vt fumo pereant, qui nõ fumos modo vendunt cum Vetronio, sed etiam vt Chamæleon aëre, ita mendacijs victitant & sustentantur. Sexto ad extremum & illud iure desidero, vt prȩter iam dicta eno-

Aliud mẽdacium de ijsdem.

det

det etiam ea quibus turpissimas suas à disputationibus ad quas inuitatus erat declinationes & subterfugia excusare, nititur inquiens: *obstabat nobis temporis ratio quò minus illuc veniremus, mittebant enim illi theses & literas suas (haud dubiè ex compositio) biduo ante natalem Domini, iuxta stylum Iulianum, cum postridie eiusdem festi disputatio habenda esset.* Esto enim sint datæ illi primum theses biduo ante natalem Domini secundum veterem, quem ipse sequitur anni cõputum; fuerit etiam postridie Natalis à Prædicante celebrandi instituenda disputatio: quid hæc ad excusandam emansionem à disceptatione resumpta post in gratiam Caluinianorum ad 17. Ianuarij? adhúcne tum durabat Caluinisticum biduum ante Natalem? Miserum Caluinopræ-dicãtem, qui vndequaq; cõmendicat mantela ad tegendam suam inscitiam, & diebus vndecim duodecímue iam à Natali præterlapsis semel conceptũ biduũ adhuc supereſſe arbitratur. Reperti fuerũt ætate nostra in noui orbis partibus in insula sanctæ Crucis homines, qui cũ Corœbo & antiquis Thracib⁹, vltra quinq; numerando assurgere non possent; at qui plus quam duo biduúmue numerare non valeret, necdũ nisi hic Caluinianus, à suis tamẽ nimiopere adhoc certamẽ desideratus & expectatus, vspiã est repertus. Sed laboris est pretiũ videre ad qualẽ se offerat disputatiõem: *Si fructuosam, inqt, disputationẽ instituere cupiant, primũ nobiscum de certis legibus & conditionib. disputandi transigant*

Prædicanti 12 dies biduum efficiunt.

Ad qualem disputationem se prædicans offerat.

(quasi non omnes scholæ iam pridem leges in argumentando respondendoq; seruandas in Logica satis accuratè tradiderint) *vt constet quadere* (rem disputandâ nemo nisi cœcus in thesibus oblatis non videt) *Ex quibus fundamentis* (in Theologia Theologicis, in philosophia philosophicis) *inter quos collocutores* (omnino inter respondentem sub præside suo, & inter argumentantes vt fieri solet) *quo ordine & modo* (quis ille sit alius quam syllogisticus?) *Deinde præsides ex vtraq; parte minimè suspectos admittant* (puta Tartaros vel Turcas, ne si Catholici sint, vt partiales reijciantur ab hæretico; aut si hæretici existant, ne à Catholicis vt suspecti non admittantur. *Adhæc fideles Notarios adhibeant* (vt dum incuruiceruicus & luridus verbi minister verba singula scribenti ad calamum demurmurat dinumeratq;, dum tardiloquentulus dictãdo idẽtidem interscreat, dũ oscitabundus promissam manu barbam demulcet, dum se suosq; limis oculis circumspectat, vocemq; miratur propriã; tempus disputationi præfixum sine omni fructu abeat. Obtulit an. 1599. vir clarissimus æquè ac eruditissimus in omni scientiarum genere Ioan. Pistorius se ad colloquiũ, cuiusmodi hic somniat meus Vorstius cũ quibuslibet prædicantibus coram quibusuis Imperij Principibus & ciuitatibus; materiam de qua colloqui paratus esset, complexus est libro Monasterij excuso Wegweiser für alle verführte Christen: locum tempusque

quod

quod vellent eligendum cuilibet reliquit. Nihil defuit, quod ad optimam Colloquij formam oblatum à Pistorio non sit: Solus defuit cum suis hic noster Caluinista, qui tamen ne nihil tum ageret, calamum strinxit, & Antipistorianas tesseradecadas (vt in eorum præfatione ad Lectorem indicat) coagmentare cœpit, quas sexennio post primum in publicum protruderet, eminus potius quam cominus cum hoste depugnaturus, nec tam colloqui verè ex animo cupiens, quam omne colloquium cum aduersario declinans. Sed diutius te demoror, Lector benevole, dum Vorstianam præfationem admonitiunculamq; excutio. Finem faciã *si illud* te vnũ monuero (ne quid mala fide allegatum putes) me in citanda Apologia Vorstiana, exemplar eius Latinum secutum Steinfurtense, à quo Hannouiense (quod inspicere necdum licuit) plurimum discrepare fertur. Deinde si quãdo cito artic. 1m. 2. vel 3. Apologiæ Vorstianæ, intelligi disputationem Vorstij Apologeticã primam, secundam, vel tertiam, quæ sunt de tribus illis articulis. Vale lector, mecumq; perpende qua ratione cõtra desertorem veræ atq; antiquæ Ecclesię, & inimicum crucis Christi sit depugnandum.

INDEX

Index præcipuarum materiarum huius libri.

Ex Apodixi I.

CAtholicorum numen esse Deum; at Caluinianorum Diabolum. cap. 3. pag. 17. & seq.

A Deo Catholicorum non emanare efficaciam erroris; sed à Caluinistico. c. 3. p. 25

Catholicorum Deum non velle peccatum, Caluinisticū verò idipsum quà peccatum est etiam decernere. c. 4. p. 33

Catholicorum Deum non agere mala vt eueniant bona; sed Caluinisticum. c. 4. p. 41

Catholicorum Deum non damnare hominem antè cognitionem causæ; at Caluinisticum. c. 6. p. 55

Catholicorum Deum non impellere per diabolum vt instrumentum suum homines in flagitia, at Caluinisticum. c. 8. p. 65

Catholicorum Deum infinitè bonū non iubere malum, nec ad illud necessitare, vt habeat quod puniat, at Caluinisticum. c. 9. p. 70

Catholicorum Deum esse Patrem; at Caluinistarum tyrannum, vt qui exigat tyrannicè ab hominibus quæ impossibilia sunt, quo habeat quod æternum puniat. c. 10. p. 73

Legem Catholici Dei per gratiam ordinariam; at Caluiniani Dei legem, ne per quantamcunq; quidem datā hactenus gratiam, impleri potuisse. c. 10. p. 74

Catholicorum Deum infinitè clementem minimas lapsiunculas non multare ignibus æternis, sed Caluinisticum. c. 11. p. 77

Catholicorum Deum esse omnipotentem & ex vi potentiæ absolutæ idem corpus diuersis locis statuere posse; nihil verò minus Caluinisticū posse, tantumq; esse orcipotentem. c. 13. p. 87

Catholicorum Deum actualem per locum extẽsionem auellere posse, at non Caluinian. c. 14. p. 89. &c.
Catholicorum Deum vnum corpus tam annihilatum quam non annihilatum reproducere posse, at non Caluinisticum. c. 15. p. 107
Catholicorum Deum corpus vnũ in aliud præexistens transmutare posse, at non Caluinist. c. 15. p. 108
Catholicorum Deum duo corpora eodem loco statuere posse sua omnipotentia, at non Caluinist. c. 16. p. 110
Catholicorum Deum omnipotentiam habere absolutam, Caluinisticum limitatam. c. 17. p. 117
Catholicorum cœlos solida esse corpora, at Caluinianorum fluida. c. 18. p. 124
Aut Caluinistas Mahometizare, aut Mahometanos Caluinizare. c. 21. p. 142

EX APODIXI 2.

In nomine Iesu Catholicorum omne genu flectendum, at in nomine Caluiniani ne digitum quidem mouendum. c. 1. p. 150
Catholicorum Iesum esse saluatorem omnium, at non Caluinianum. c. 2. p. 158
Catholicorum Iesum reipsa tollere peccata in iustificatione, at non Caluinianum. c. 3. p. 162
Catholici Christi regnum carere fine, at non Caluinistici. c. 4. p. 170
Catholicorum Christum vnctum esse in sacerdotem aternum Melchisedechicum, at non Caluinianum. c. 4. p. 174
Catholicorum Christum vnctũ esse Spiritu sapientiæ, scientiæ, & intellectus, at non Caluinianum. c. 4. pag. 177.

Catholicorum Christum abundasse scientia beata & infusa, at ijsdem caruisse Caluin. cap. 5. p. 179
Catholicorum Christum non profeciſſe in scientijs & liberalibus artib. sed Caluinist. c. 6. p. 182
Catholicorum Christum fuisse perfectum Grammaticum & Rhetorem, at non Caluinist. c. 7. p. 185
Catholicorum Christum fuisse perfectum dialecticū, at non Caluinianum. c. 8. p. 189
Catholicorum Christum non nisi prudentissimè semper locutum, neq; vnquam verbulo lapsum, at lōgè aliter euenisse Caluiniano. c. 9. p. 195
Catholicorum Christum esse veri Dei Filium Patriq; æqualem, at non Caluinianum. c. 11. p. 201
Quæ de Trinitate, de Deo, de Christi statu & officio creduntur ad fundamentum Catholicæ fidei pertinere, at nō ad fundamentum Calu. c. 11. p. 215

EX 3. APODIXI.

Catholicorum Christum non spoliatum gloria in conceptione, at Caluinianum. c. 2. p. 240
Catholicorum Christum non assumsisse massam informem, at Caluinianum. c. 2. ibid.
Cathol. Christum à conceptione gratia fuisse plenissimum, at de Caluiniano non liquere. c. 3. p. 247
Christi Catholicorum matrem esse virginem, cap. 4. p. 254. & sine dolore peperisse, at non Caluiniani. c. 5. p. 261
Christi Catholicorum matrem à partu semper virginē mansisse, at de Caluinistica non liquere, adeoq; temere pronunciari. c. 6. p. 263
Christi Catholicorum matrem peccatis iuxta ac flagitijs caruisse, Caluinianam vero affluere. c. 7. p. 265

APO-

APODIXIS PRIMA BLASPHEMIARVM CALVINISTICARVM CIRCA I. ARTICVLVM SYMBOLI Apostolorum.

CAPVT I.

Abstersio calumniarum circa titulum.

QVAE suo in proœmio, nec pauca, nec leuia, effutiuit mendacia calumniasq; Caluinista Vorstius, ea tanquam aliena à thesium instituto relinquo: ad arcem ipsam titulumq; disputationis, qui est, Credo Caluinisequarum aggredior. Scurrilis illi hic titulus est. Quamobrem? Pudet dicere, dicendum tamen est, quod sagaces homines aduerto coniectare: aiunt Caluinisequam fœminini generis esse apud hunc Prædicantem, illiq; mollitiem quandam effœminatam suorum hominum Caluini, Bezæ & aliorum ad memoriam reuocare. Vix credo tantam hominis esse posse inscitiam, illi tamen interim clamitant. O dignum Bœoticis suibus scrophipascum! Qui nescit bubsequas (& cur non etiam Caluinisequas?) esse masculei sexus? Neq; tamen causam scurrilitatis in posito titulo conijcere valeo; nisi forte Caluinus, vir fuerit prædicanti nõ satis honestus; vt proinde honestum

Caluinistas rectè dici etiam Caluinisequas.

non sit dici Caluinisequam. Alioqui certè scurrile non est, vel hominem Christi crucem tollentem, sequentemque eius doctrinam Christisequam appellare, vel ingenuos adolescentes adolescentulasq; magnatum assectatores, in pedissequis numerare, & nominare. Nec symbolum fidei cum vulgo appellare Credo, nec orationem Dominicam appellare, Pater noster, aut nouum est, aut scurrile quippiam continet. Vnde igitur hæc scurrilitas, cum symbolum Caluinistarum inscribimus Credo Caluinisequarum?

Mendacium Vorstianum.

Caluinoprædicantizat autem & mentitur primo, quod ait §. 9. 1. disp. Apolog. *primum Iesuitarum esse mendacium, Ecclesiæ Vorstianæ fidem dicendam Credo Caluinisequarum.* Nego ab ijs vspiam tale quid scriptum: Nego Vorstianæ alicuius Ecclesiæ in disputatione ipsorum vllum extare vestigium. Sunt in manibus omnium eorú theses, age qua in parte, quoto numero, quibus verbis mendacium eiusmodi contexuerunt? vbi id memoriæ prodiderunt magis, quam in suo Symbolo Caluiniano fecerit Quirinus Gnoglerus, qui ne fando quidē Vorstiani aut Steinfurtensis cuiuspiam cœtus nomen inaudijt? quam in atheismis pseudoeuangelicorum contra articulos fidei id præstiterit Antonius Possevinus, qui sit necne Vorstius homo (nedum quid sit hæretici hominis) vnquam cognouit? Conscius ipse sibi de se putat

tat omnia dici. Vidit suam in Credo Caluini-sequarum secundum Caluini principia fidem adumbratã: putauit itaq; suæ Ecclesiæ doctrinam per Credo Caluinisequarũ exagitatam, quod Iesuitæ in thesib. neq; aiunt, neq; negãt.

II. Mentitur se nõ esse Caluinisequam. Qui Caluini doctrinam sequitur, propugnat, disseminat, tã est Caluinisequa siue Caluinianus, quàm esse possit vel Ciceronianus, qui Ciceronem; vel Platonicus, qui Platonem, vel Mahometanus qui Mahometem sequitur. At Vorstium Caluini doctrinam sequi, & tueri tã est hic gentium notum, quam quod notissimum: & (vt alia deessent) sola, quam pro Caluino instituit Apologia contra Iesuitas, id euincit apertissimè. Nã quid aliud hæc est, quam sententiarum Caluinisticarũ inepta quidem, sed tamen affectata defensio? Verum si nolit esse, qui habetur ab omnibus, Caluinianus, per me licet, vt sit,

Mendac. Vorst. 2.

Caluino-Stenckfel-Luthero-Dreckvvagianus,
Libertinarius, & Nihilifidius.

Ita enim non iurabit, quod iactat, vllius in verba Magistri aut Doctoris, nec ab vllo pendebit mysteriorum diuinorũ interprete verè dictur⁹, *Quo me cunq; rapit tẽpestas deferor hospes.*

III. Mentitur, quod ait: *Constat omnes Ecclesias ex Dei verbo reformatas, præsertim quæ puriorem de cœna Domini doctrinã profitentur ab istis Caluinianas appellari.* Prorsus enim contrariũ cõstat ijs omnibus, quib⁹ aliqd de sectis, in quas nouãgelici

Mend. Vorst. 3.

sectí sunt, scriptisq; Societatis constat. Lutheranæ Ecclesiæ ex Dei verbo, Prædicante iudice, sunt reformatæ, idq; innuit, dum ait hoc in paragrapho, *præsertim quæ puriorem de cœna Domini doctrinam profitentur*, volens etiam eas, quæ minus puram profitentur doctrinam, includere. At Lutheranæ Ecclesiæ nequaquam à Iesuitis vocantur Caluinianæ. Pro ijs aliud habent Credo Symbolumq; ab ipsorum discipulo Quirino Cnoglero pulchrè digestum. Sed placuit prædicanti, id quod accepit, mentiendi priuilegium, pueris contrariũ in scholis Societatis edoctis, ostendere, vt pro priuilegiato Crete eum agnoscerent.

Mendac. Voist. 4. IV. Mentitur cum inquit §. 9. *Ecclesia nostra in solius Christi verba iurârunt.* Iurant per Saxoniam, quos à reformatis non excipit, promouendi, prædicantesque priusquam honorum gradibus insigniantur, vel ad publicas in templis clamationes admittantur, in cõfessionem Augustanam: iurat ipsemet prędicans, non solum in verbum Dei, sed & symbola confessionesq; publicas, quas vt distinctas à verbo Dei recenset §. 10. *Caluini Bezæ, & aliorum priuatam doctrinam*, inquiens, *se amplecti quatenus & verbo Dei, & publicis illis symbolis seu confessionibus est cõsentanea.* Iurat vniuersa Sacramentariorum colluuies, in tropicam totius cœnæ explicationem, in nudum corporis Christi signum contra apertissima Christi verba: *Hoc est corpus*

Caluinistas non iurant in verba Christi.

pus meum. Deniq; iurant, quotquot sunt Caluinistæ in omnes pene omnium damnatorum olim hæresiarcharum deliria & somnia. De quibus Scoppius in Epist. ad Theophilum Richium. Bellarm. de Ecclesiæ notis lib. 4. c. 9. Adde verba Christi esse, quæ Ioannis 8. in historia de adultera ponuntur ab Euangelista. At in ea non iurat superattendens Geneuensis Beza in suis commentarijs super cap. 7. Ioan. v 53. sed ait: *Quod narrat Apostolus Ioannes, Iesum solum fuisse relictum cum muliere in templo, nescio quam sit probabile, & quod scribit Iesum scripsisse in terram nouum mihi & insolens videtur.* Nec potest vllis adduci coniecturis Caluinus patriarcha Sacramentariorum, vt credat totum illud caput 6. apud Ioannem esse Ioannis, maximè qua agit de reali manducatione corporis Christi, vt est apud Feuardentium præfat. in Rhut. Num etiam hoc est Caluinistas, qui vtique capiti consentient, iurare in verba Christi? Si repudiare Christi oracula, vel pro sua torquere ea libidine, est in illa iurare, negari non potest, strenuè Caluinistas in Christi elogia iurare, & quidē solius, vt ait Prædicans: quo dicere possint, se etiam Apostolorum doctrinam, si quando extra Christi mandatum aliquid continet, non acceptare: nec audire Paulum, gentium quidem, sed non Caluinistarum doctorem, cum scribit 1. Cor. 7. *Cæteris ego dico, non Dominus, si quis frater vxorem habet infidelem,*

Caluinista reijcit historiam de adultera.

Caluinistę reijciunt doctrinā Pauli.

fidelem, & hac consenserit habitare cum illo, non dimittat illam.

5. Mend. Vorst.

V. Mentitur cum contendit §. 10. *nihil impium, vel etiam in fide Caluiniana erroneum* (vt habet in versione Germanica) *posse demonstrari in Harmonia, Hußitica, Heluetica, Gallica, Anglica, Belgica, Augustana, Sueuica*, & nescio quarum non aliarum confessionum obtorto collo tractarum à Geneuensibus, ad monstrum nouangelicæ fidei constituendum. Trecentorum errorum redarguit cõfessionem fidei Caluinianæ Franciscus Feuardentius lib. 15. Theomachiæ Caluinisticæ. Non pauciorum mendaciorum cõuincunt Augustanam confessionem. Fabritius in Harmonia confess. August. & Bellarminus in iudicio de libro Cõcordię. Pistorius ad ducenta luculenta mendacia in ea se ostensurum pollicetur in libro Merckzeichen. Falsitatis sugillant in multis fidem confessionemque Caluinianam Lutherani; Ohander in Enchiridio controuersiarum inter Theologos Augustanæ Confessionis & Caluinistas, Menzerus in collationibus doctrinę Zvvinglj, Caluini, Bezæ cum Augustana confessione: Huberus in oppositionibus articulorum fidei Lutheranæ & Caluinianæ. Vices non segniter rependunt Caluinistæ Lutheranis, eorumque doctrinam, vt falsissimam exagitant. Quis vero tam bardus vnquam extitit, qui inter contradictoria alteram partem falsam erroneamq;

Errores Confessionũ nouangelicarũ.

Dissidia nouangelicorum.

neamq; non iudicarit? ex infinitis paucula delibemus. Non recipit Confessio VVirtenbergensis, Lutheri discipula, Epistolas quas vocant Catholicas, cum ea quæ est ad Hebræos, & Apocalypsi, vtpote *de quarum authoritate aliquando in Ecclesia dubitatum sit*: at pro canonicis scripturis in suo eas catalogo recipiunt, confessio Belgica Gallicana q; Spiritũ sanctum & fidem per peccata mortalia amitti, volunt Saxonica pag. 86. Augustana pag. 190. Bohemica pag. 180. confessiones in Harmonia non amitti, sed sopiri tantum fidem, & Spiritum S. vult doctrina Caluiniana, idq; haud aliter ac ratio in ebrijs ligatur. Beza in colloq. Mompelg. & Caluinistæ in marginali corruptela ad prædictas confess. Verè exhiberi corpus & sanguinem Christi sub speciebus panis & vini, ait Carolo quinto exhibita confessio Aug. aliæ posteriores cũ pane & vino; quid ad hoc confessiones Caluinianæ? apage cum istis hæmatopotis, in rem malam cum creophagis, signa tãtum corporis sanguinisq; suscipiuntur. Vno verbo, quæ docet confessio Augustana, ea euertit fides Caluiniana, vt & lippis & tõsoribus notum est per Germaniam ex quotidianis Nouangelicorum cõcertationibus, & pluribus ostẽdi in Apodixi quod Caluinistæ non sint Augustanæ confessionis. Qui igitur fieri potest, vt in bella illa harmonia Caluangelica nihil sit erroneum impiúmve?

Harmoniæ nouãgelicæ discrepantia.

6. Mend. Vorst.

VI. Mentitur scribens *Caluino & alijs Doctoribus Euangelicis atrox iniuria fit, dum multæ blasphemiæ & paradoxa (§. 12.) ipsis imputantur, quæ nec scripserunt, nec cogitárunt vnquam, §. 11.* Iam ante concesseras, mi homo, Caluini aliorumq; illa esse paradoxa, quæ in Credo Caluinisequarum congesta sunt. quid igitur iam vulgi censuram pertimescens palinodiam canis? meministine cum inuitareris ad disputationem, te in Epistola tua 23. Decembris data rescripsisse; *quid præter personalia, id est vitia & nauos quosdam horum vel illorum doctorum in ijs thesibus vestris* (in Credo Caluinisequarum) *colligitis? nos certè nec Caluini nec hominis cuiusquam paradoxa tuemur.* Vt hæc inter se cohærēt? In Decembri sunt vitia, sunt næui, sunt paradoxa; in Martio & postmodum inculpata sunt dogmata: hyeme homo congelatus, non tueris id, quod effutiuit Caluinus; verno, æstiuoq; tempore, iam resolutus à veris calore, omnia velut ex tripode profecta contra theses amplecteris. Suscipe tandem aliquando, prædicans, hominis sobrij & constantis cogitationes: edormi, siue veternum, siue crapulam istam; nec simul de eadem re ai, & nega. Bonorum virorum non est, eodem ex ore calidum & frigidum flare; aliud inter sedendum, aliud inter stando loqui, hyberno tempore concedere verum esse, quod inficieris verno.

Contradictio Vorstiana.

Vorstius Vertūnus.

VII. Men-

VII. Mentitur cũ ineptissimè falsissimeq; infert §.12. *Itaq; hoc alterum mendacium est Iesuitarum, &c.* Aiunt olim quendam suspensum prius, & posterius, vtrum laqueo dignus fuerit, an non, iudicatum. Vbi locorum, id acciderit, video controuerti. alij aiunt euenisse in VVestphalia, ad Mosellam alij, Ego id Steinfurti Prædicantis præcipitata asseueratione, iam accidisse non dubito. Condemnat secundi mendacij Iesuitas, sed nullam ante condemnationem sententiæ suæ rationem affert. Vult eos seu mẽdaces ex arbore suspendere, & prę- ter inaniloquentiam prædicanticam ad confirmationem præmittit nihil. Scilicet id satis est, si dicat: *nos impia hæc paradoxa nusquam extare in scriptis Caluini dicimus. Itaq; hoc alterum est mendacium Iesuitarum!* Quid si eadem ratione quis scribat: nos impia illa paradoxa passim extare in scriptis Caluini dicimus, ergo hoc nouum Vorstianum est mendacium? Quid si vlterius progrediatur aiatq;: nos cum Lutheranis, prædicantes Caluinianos intus & in cute nequam atq; atheos dicimus: itaq; id est verissimum. Acquiescisne, prædicans, hoc modo tecum agenti? concedésne rem pulchrè esse confectam? & non consequens modo, sed& consequentiam esse verissimam optimamq;? Prius ratio tibi est afferenda quàm cõcludendum apud philosophiæ gnaros. Stultus colligit, antequam quicquam ad probandum præmisit.

7. Mend. Vorst.

Illatio Vorstiana sine probatione.

misit. At post id probabis? prorsus idipsum est, quod volumus, te prius reum suspendere, & post causam velle indagare. Non desinis tui similis esse logicus. Nam iam ante ex præfatiuncula Credo caluiniani pari argutia, ita intuleras: Iesuitæ aiunt: *quos tu hostes, Comes Illustrissimè Solrane prosequeris, eos suis ipsorum gladijs nefandisq; blasphemijs per Iesuitas iugulatos intueris.* Ergo omnes ab ijs iugulatos (Gallos, Anglos, Polonos, alioſq; alibi caluinistas) tu Comes Illustris. armis persequeris. Hem Bŏbomachidem, Cluninstaredijsarchidem, ex campis gurgustidonijs Latumijsq; VVestphalicis, qui legiones Iesuitarum difflat vno spiritu quasi ventus folia aut pannicula tectoria. Retineamus hanc *Vorstianam* ratiocinandi formam, ad eamq; nos exerceamus nŏnihil. Quos opilio Steinfurtensis insequitur ad pascua hircos, eos benè barbatos, intueris. Ergo omnes barbatos, siue sint hirci in India, siue Prædicantes in VVestphalia, insequitur opilio Steinfurtensis. Quid lepidius? Iterum quos insequitur Rex catholicus reformati verbi ministros, eos satis impudentes, verbosos & mendaces scimus. Ergo omnes impudentes, verbosos, & garrulos insequitur Rex catholicus, bellumque gerit cum omnibus verbigeronibus, non modò in Saxonia, Prussia, Russia: sed & in Iaponia, Cambaia, Africa, cum locutuleis vniuersis in

Logica Vorstiana elegantissima.

sis in Tartaria, cum fabulonibus in Persíde & tota Asia. Centum in Cilicia, & quinquaginta centum Sycolatronidæ, triginta Sardi, Sexaginta Macedones; sunt prædicantes quos occidit vna die. Papæ! quid auditum vspiam subtilius? Arrige aures, prædicans, & agnosce egregiam tuam dialecticam, acumenque. Non hoc dicitur in præfatione: Omnes tu persequeris, quos iugulat suis blasphemijs Credo caluinisequarum. Sed hoc: Quos tu persequeris (puta in Belgio caluinistas, hostes Regiæ Maiestatis) eos etiam iugulat suis blasphemijs Credo caluinisequarum: neque tamen ob id negatur, plures iugulari per hoc credo caluinisequarum, quam insequatur Illustrissimus comes. Exere nónihil, si quod habes Dialecticum acumen, & doce istas duas propositiones æquipollere: Omnes tu caluinistas persequeris, & quos tu caluinistas persequeris, & eris Aristotelicis magnus Apollo. Sed caue ne si malè cedat, in prouerbium Philosophis abeat Vorstiana congelataque consecutio.

CAPVT

CAPVT II.

Examinatur exegesis Caluino Vorstiana primi articuli.

Domi atheï, in publico religiosi.

EPicurus omnium bonarum disciplinarum pernicies, priuatim nullum esse Deum credebat, in publico tamen simulabat se sacrificare, adorare, vota facere, ne tanta eius impietas emanaret in populum. Item in Iaponia quidam è Bonzijs, idem in China Mandarini quidam factitant. Non dissimiliter agit Caluino prædicans noster; priuatim sentit, secundum posita à Caluino principia, Deum suum suorumq; esse Calecutanum Diabolum; publicè tamen ita se gerit, torquet & retorquet verba sensumq; verborum Caluinianorum, ac si credat cum alijs in cõmunem Christianorum Deum. Hinc breuem quandam exegesin primi articuli præmittit responsioni ad theses, in qua se conatur apud incautos in angelum Catholicæ lucis transformare: sed frustra est, facilè dignoscitur exvncis pedibus manibusq; mendaciorum parens; facilè falsa veris intermista notantur.

Mend. Vorst. 8.

Mentitur I. quod fidei esse scribit §. 14. *Deo ex animo confidere, inq;, eius potentia & bona erga nos voluntate acquiescere.* Non hic oritur actus ab habitu fidei, sed à spe diuinitus infusa, quã Apostolus 1. Cor. 13. distinguit à fide. *Nunc autem manent*, inquiens, *Fides, Spes, Charitas, tria hæc:*

hæc: qua de re, quos libenter se legere dictitat, Iesuitæ, Bellarminus lib. 1. de Iustific. c. 5. Vasquez in 1. 2æ. disp. 209. Valentia tom. 3. in D. Tho.

II. Mentitur Deum omnipotentem esse, sufficienter per hæc explicari, *quod omnia omnino posſit, quæ vel dici vel cogitari possunt.* Plus etiam potest infinita Dei infinitipotentia, quam finitæ mentis actus definitus queat perspicere, vel lingua effari. Vt enim finiti ad infinitum nulla est proportio, ita nec potest finitæ mentis cancellis ea vis, agendiq; facultas comprehendi, cuius finis nulla potest cogitatione constitui. Rectè igitur Augustinus: lib. 21. de ciuit. Dei cap. 7. *demus Deum aliquid posse, quod nos fateamur inuestigari non posse.* Mendac. Vorst. 9.

III. Mentitur, hunc Deum patrem omnipotentem, solum esse conditorem cœli & terræ. Etiam filius creator est, vt per quem facta sint omnia; etiam Spiritus sanctus creator est, vt cui vna eademq; cum patre Filioq; nó modo natura, sed etiam sapientia potentiaq; creatrix, & (quod inde fit) operatio transiens creatioq; sit communis. 10. Mend. Vorst.

IV. Mentitur, si modo verbis vim non afferat, *nihil Deo ipso simpliciter nolente fieri*: fiunt parricidia, incestus, aliaque peccata, quæ simpliciter fieri vetat ac damnat. Deus enim non volens iniquitatem tu es, ait Regius vates. Psal. 5. 11. Mend. Vorst.

Quod

Quod autem intorquet carmen in Societatis homines, id verius elegantiusq; sic mutatum obiter leget:

Non audet Stygius Pluto tentare, quod audet
Caluiniſta atheos, plenaq; fraudis anus.

Aut vt ipſius in dicendo libertate vtamur, ſic poterit adhuc magis quadrari.

Non audet Stygius Pluto tentare quod audet.
Vorſtius effrænis, plenaq; fraudis anus.

Sed ad rem, ad ipſas inquam theſes nos accingamus, eaſq; primũ integrè deſcribamus, mox à calumnijs etiam ineptijſq; mendacibus Vorſtij vindicemus.

PRIMA THESIS.

DEVM hunc Caluinus ſibi, ſuisq; ſectatoribus transformauit in Diabolum, prout è ſchola Lutheri Heshuſius, lib. de erroribus calu. è catu Caluinianorum Caſtalio lib. de prædeſt. è Catholicis Bellarm. Tom. 3. li. 2. c. 4. de amiſſione gratiæ & ſtatu peccati. Maldonatus, in c. 2. Matth. Becanus Diſp. an Deus ſit author peccati, *diligenter obſeruârunt ac notârunt. Res dictu mira, ſed probatu non difficilis. Age enim, qui eâdem Deum ſpecie ac fuligine depingit, qua deturpatus Lucifer, ex angelorum pulcherrimo degenerauit in inferorum omnium teterrimum, an non Deum manifeſtè transfigurat, in Diabolum? At verò depinxit Deum ſuum ſuorumq; Luciferi coloribus Caluinus. Quid enim? Sathanæ illa in ſcripturis ſunt lineamenta, ac notæ propriæ: hominum*

mentes

mentes (positiuè & voluntate actiua, non autem permissiua tantum) excæcare, indurare, suisq; mendacijs decipere. Gen. 3. 3. Reg 22. Ioan. 8. *eas ad proditiones, rapinas, homicidia, extimulare*, Ioan. 13. Osee 4. & 5. *illis adulteria, incestus, & id genus fœda flagitia inculcare.* Luc. 4. Matth. 4 Act. 5. 1. corint. 7. Thess. 3. *eas cribrare ac tentare.* Luc. 22. *Quicquid horum est, suo impingit Deo Caluinus. Ille potissima potentissimaq; causa est omnis omnino humanæ deceptionis; vt* à quò *omnis* emanet efficacia erroris *1. Inst. c. 18. §. 2. ille fons & origo est vastationum, bellorumq; omnium: vt* à quo appareat certa destinatione Assyrios fuisse impulsos (Ibidem) *ad Iudæam igne ferroq; vastandam; ille conciliator & perpetrator est vniuersæ infandæ libidinis, vt* qui detestabilem Absolonis incestum suum esse opus pronunciet. *Expressit omnia simul nulla verborum vsus circuitione Princeps ac primipilus Caluinianorum Zvvinglius* serm. de prouid. Dei ca. 6. *ad Cattorum Regulum scribens:* Quando facimus adulterium aut homicidium (*idem de alijs sceleribus est iudicium*) Dei opus est motoris, authoris, impulsoris. *Expressit eadem Caluinizans Melanthon* in cap. 8. ad Rom. *disertis verbis asserens:* adulterium Dauidis & proditio Iudæ, ita proprium est opus Dei; sicut vocatio & conuersio Pauli.

SECVN-

SECVNDA THESIS.

Sed duabus è Caluino sumptis propositionibus hæc & breuius, & non minus apertè concludamus. Ait ipsemet, in instructione contra libertinos ca. 14. Libertinos, eò quod Deum astruant scelerum authorem, non tantum diabolum cum Deo societate coniungere, sed etiã in Deum ipsum transformare. *Atqui ille ipse Deum astruit scelerum authorem, cum scribit 1. Inst. c. 18. §. 3.* Iam satis apertè ostendi, Deum vocari omnium eorum (*puta peccatorum quà peccata sunt, de quibus inibi agit*) authorem, quæ isti Censores (*Doctores Ecclesiæ Catholicæ*) dicunt otioso tantum eius permissu contingere. *Transformat igitur etiam ipsemet Deum suum suorumq; in Diabolum. vt proinde sectatores eius culpari non debeant; quod vel in Gallia Parisijs in æde D. Medardi rutrum in vitrea fenestra cacodæmonem, disiecta Christi cruce reliquerint; vel in Anglia Londini, in templo D. Pauli solam Luciferi imaginem reseruarint; vel Antuerpiæ in Belgio in primaria Basilica, Satanæ statuam alijs euersis exustisq; retinuerint; vel Lugduni Batauorum reuertentes à diruto suburbano Franciscanorum Monasterio, pro Christi signo & vexillo aterrimum dæmona suo agmini prætulerint.* Delrio lib. 3. Disq. Mag. par. 1. q. 7. Sect. 1. Bredenbachius lib. 7. cap. 38. Lindan. de fug. idol. lib. 1. c. 15.

Excusatio dæmonolatriæ Caluinianæ.

Quid contra hæc prædicans? mentitur omnia, tumultuatur, conuitiatur. Sed vt ordine res fiat tota, primum theses ad Syllogisticam for-

formam reuocemus, tum aduersarij subterfugia excutiamus, deniq; quæ impingit mendacia erroresq; retorqueamus.

CAPVT III.

Secundum Caluini doctrinam Diabolum constitui Deum reformatorum à Caluino.

DEduxi pluribus hanc rem aduersus Caluinoprædicantem meum in opusculo: Augenscheinliche außführung daß der Caluinistē Gott der Teuffel sey: wider Hans Wurst. Et in eiusdem Apologiæ irrefutata confutatione widerlegung der Caluinischen Abfertigung. Sed quod hæc vernaculo sermone sint elaborata, aduersarius autem etiam latinè calumnietur, modo latina phrasi rem eandem ferè reddam, simulq; multiplicibus pseudologijs Vorstianis occurram. Verum ne Andabatarum pugnam pugnemus, principio statum quæstionis oculis subijciamus. Hoc igitur est quod anquiritur, an Deus peccata, non solum permittat fieri à malis, sed an sua etiam voluntate velit, decernat, iubeat, vt fiant: iterum, non an ordinet permissa peccata ad bonorum hominum probationem & malorum castigationem (id enim extra disputationis aleam est) sed an intus in mentibus hominum operetur malum, & non tantum deserendo

Status controuersiæ.

permittendoq́,sed etiam agẽdo,volendo,impellẽdo vnà cũ peccatore ad malum cõcurrat; in illud hominem proijciat vt præcipuus author; ad illud volũtates excitet & conatus firmet. Hæc Caluinum dicere,dicimus vna cum Lutheranis Catholici:atque inde Caluini Deum colligimus esse Diabolum. Perplexatur vero de his prædicans,defugiensq́; hunc quæstionis punctum, de alijs respõdet, rogatus de cœpis, & nunc hoc, paulo post aliud occinit, sibi non satis vel in hac vel in alijs materijs constans. Probemus igitur iam Deum Caluinianum non solum velle ipsam permissionem peccati, tanquam concessæ arbitrij humani libertati debitam,sed etiam velle ipsum peccatum permissum. Quæ duo differunt plurimum,& non nisi imperitissimè confunduntur. Voluntas enim permittendi homini libertatem benè vel malè operandi, bona est; at mala est voluntas,quæ abutitur permissa libertate,operaturq́;malum. Non agit malè imperator volendo & permittendo Iudæos in imperij finibus viuere; velle autẽ viuere Iudaicè plane malum est salutiq́;animarum pernicioſum: & leges multa permittunt, quæ tamen vt iusta non probant voluntue fieri.

Differunt plurimum velle permissionẽ ipsam & velle rem permissam.

His positis 1. Argumentum, vt placet prædicanti, est ab authoritate, potestque hunc in modum Syllogisticè formari. Vnicuique perito in sua arte est credendum; medico in ijs quæ

1. Argum. ab authoritate.

quæ ad alexipharmaca faciunt; Iurisperito in definienda sententia legis; opifici de operis perfectione vel imperfectione. At vero periti Theologiæ, Caluinum iudicant, Deum facere peccati authorem, & quod inde fieri cõcedit prædicans, ex Deo procudere Diabolum. Verè igitur censendus est Caluinus cum gregalibus suis ex Deo facere diabolum. Minorem huius syllogismi negabit aduersarius, maiori tanquam communi quodam axiomate non dificulter admissa. Sed neget quoties collibitum fuerit, nobis nihil probatu facilius. Sic enim argumenti cursum vimque promouemus.

Si qui in doctis Theologis sunt numerandi, dubio procul, etiam aduersario iudice ij erunt, vel Lutherani Superintendentes, vel Caluiniani consistoriantes, vel Catholici in Academijs Theologiæ Doctores. Sed ex ijs pleriq;, hoc ter impium dogma Caluino tribuunt, si quando eius disceptandi occasio est. Neq; hoc grauatè concedit Prædicans, vt qui testibus luce clarioribus in thesi prima opprimatur. Largitur id testari Superintendentem omnium generalem Tilmannum Heshusium in lib. de erroribus Caluini. Idem Conradum Scluselburgium Stralsundensem superintendentem, & generalem episcopum & Patriarcham circumiacentium deformatarũ Ecclesiarum, hominẽ 23. añis in Caluinistis

Lutherani testantur Caluinistis, p Deo esse Diabolum.

lectitandis fatigatum fractumq; dicere & docere in Theologia Caluiniſtica ex 223. Sacramentariorum libris congeſta, non diffitetur. Idem Philippum Nicolai ducem verbi Hamburgæ eiuſq; Symmiſtas Caluini aſſeclis opprobrare, & in libris editis, & pro concione non abnegat. Mitto Lutherum dicentē Tom. 3. Ienæ lib. **daß dieſe wort Chriſti (das iſt mein Leib) noch feſt ſtehen. Der Teuffel iſt der ſchwermer (Caluiniſten) geiſtlicher Gott/ ꝛc.** Ioannem Prætorium Saxohallenſem in lib. **Caluiniſch Gaſthauß zur Narrenkappen genant.** Ioannem **Schütz im Sacramentsteuffel/** alioſq; complures. Accedunt ad hoſce Euangelicos (non ſanè contemnendos Euangelico Vorſtio, niſi velit eos ſecundum nouum ſuum Euangelium mentitos) Caluiniſtæ: *inter quos cum anno 1552. Genevæ doctrina Caluini de Prædeſtinatione cœpiſſet eſſe cōtrouerſa* (Bolſeci verba refero ex hiſtoria de vita Bezæ) *plurimi Bernatium miniſtri oculos aperuerunt, Caluinumq; in ea grauiter errare perſpexerunt. Coactaq; Lauſannæ Synodo ſubducentem ſe diſputationi cum Bolſeco (qui anno dicto hac in materia ei reſtiterat Genevæ ad D. Petri) condemnārunt prohibentes ne quis impiam hanc doctrinam traderet, Deumq; per eam in cacodæmonem transformaret.* Extant ſenatus Bernenſis litteræ ad miniſtros An. 1555. apud Claudium Xanteſium in reſponſ. ad apologiam Bezæ, quibus ſuam hanc de impiiſſima

Caluiniſtę teſtantur Caluini Deum eſſe Diabolum

sima ista Caluini doctrina censuram satis indicant: vt imperitè prorsus impudenterque Feuardentium lib. 2. c. 12. Theomachiæ mendacij accuset prædicans: *cum ille Bernenses, ait, ministri coram Senatu suo Caluinum accusárunt, & libellos eiusdem* (Caluini) *super hac re à carnifice publicè laceratos eodem loco conflagrari statuerunt, edicto prohibentes, ne quis in eorum terrùtam tetros errores spargeret.* Insinuat hæc Bullingerus Tigurinus minister serm. 10. Decade 3. dum inuehitur tacito nomine in Caluini dogma quo *Deum esse causam peccati statuit; propterea, quia ipsum peccatum voluit. Si enim noluisset homo non peccasset.* Eadem mens fuit Petri Vermilij publici in Theologia professoris in 2. Reg. c. 6. *sententias* (quas Caluinus de peccati origine tradidit) *Libertinas, execrandas, sacrilegas, abominandas & plane diabolicas* proclamans. Nec Geneuæ defuerunt præter Bolsecum alij, & inprimis Castalio ac Seruetus, qui se statim Caluino opponerent. Cæterum quia Caluinus Papa eo loci plus pollebat viribus, alios fuga sibi consulere compulit, alium viuũ ardentibus flammis comburendum curauit. Negauit hæc principio de Castalione prædicans: sed postquam monitus scripto meo Augenschein oculatia naso admouit, id quod negarat in Apologia reperiri apud Castalionem, inuentum à se concessit, seque more suo mendacij ipse redarguit. Quoniam vero apertè totum hoc,

Seruetus à Caluino cõbustus, nihil obstãte libertate & autonomia Caluinistica.

Palinodia Vorstiana.

quod Iesuitę, etiâ Castalio obijcit, Caluinistis, verba Castalionis ad longum ponam. *Falsus Caluini Deus, est* (ait) *tardus ad misericordiam, prompensus ad iram, qui maximam mundi partem creauit ad perniciem, eosq; nõ solum ad damnationẽ, sed etiã ad damnationis causam prædestinauit. Itaq; decreuit ab æterno & vult, efficitq; vt peccent necessario, ita vt nec furta, nec homicidia, nec adulteria cõmittantur, nisi eius impulsu. Suggerit enim hominibus prauos affectus atq; inhoneſtos, nõ solum permiſsiuè, sed efficaciter, eosq; indurat, ita vt dum impiè agũt potius opus Dei, quã suum faciant. Sathanã facit esse mendacem, ita vt non iam Sathan, sed Deus Caluini sit pater mendacij. At ille Deus quẽ sacra littera docẽt, est huic planè cõtrarius.* Et infra: *verus Deus venit vt destrueret illius Caluiniani Dei opera. Et hi duo Dei, vt sunt natura inter se cõtrarij: sic gignunt filios etiam inter se cõtrarios. Ille* (Caluinianꝰ caluinistas) *immiſericordes, superbos, immites, inuidos, sanguinarios, calũniatores, fictos, aliud in corde aliud in ore gerentes, impatientes, malitioſos, seditioſos, cõtentioſos, ambitioſos, auaros, voluptatis magis, quam Dei amantes, deniq; omnibus prauis & inhoneſtis affectibus plenos, quos eis ipſorũ pater suggerit. vt alter Deus* (Catholicus Catholicos) *miſericordes gignit.* Disce Caluino prędicans nõ esse tutũ vociferari, simulac aliquid primò aspectu nõ inueneris: *hoc cõijcio mala fide citatũ esse, quod calumniatoribus est solenne.* Vide vt fidelius de veritate inquiras aliàs antequã sententiam pronũcies. Adamus hic Stancarum & ipsum

Dogmata Caluini ex Caluinista Castaliõe. Atrige aures prædicans, & discere vt tui cõsentiant Iesuitis.

Viua Caluinistarũ imago à Caluiniano depicta

Stãcari de Caluino testimoniũ,

ipsum Sacramentariũ, qui de Caluino scribens inquit: *iste ter infelix & indoctus Caluinus sæpe in scriptis suis cõtra seipsum loquens duos Deos cõstituit* (puta Diabolum cum alio Deo) *nescit quid scribat, aut de quibus affirmet, modo vnam sententiam ponit, immediatè addit contradictoriam. Quod prius affirmat hoc posteà negat, & ob id velle omnes eius ineptias, ne dicam stultitias, & impietates corrigere, immensus esset labor.* Sed missis Nouangelicis ad catholicos abeamus, qui ex omni pene gente, quæ sub cælo est, hanc blasphemiam in Caluino notârunt, eumque grauissimè accusârunt, quod Deum transformaret in diabolum sua de Deo peccati authore doctrina. Comprobârunt id doctè pariter & copiosè ex Anglis duo VVilhelmi Reginaldus & Giffordus. lib. 3. Caluino Turc. c. 17. & c. 28. Ex germanis Theologiæ professor publicus Martinus Becanus in Disp. an Deus sit author peccati, c. 17. ex Gallis Francis. Feuardẽtius li. 2. c. 12. Theom. Calu. dum è Caluinistis demonstrat Deum esse causam peccati. ex Italis Bellarm. Tom. 3. li. 2. c. 4. de amissione gratiæ, vbi idem cũ Feuardentio accuratè edocet, solidaq; fundamenta iacit ad cõcludendum Caluini Deũ esse diabolũ. Ex Polonis Andreas Iurgievvicius in li. Nullus & nemo. Ex Austriacis Quirinus Cnoglerus in Symbolo Caluin. art. 1. Iã vero si in ore duorũ aut trium testiũ stat omne verbum, vt ipsa sapiẽtia Matt. 18. loquitur, qd excipiet

Mira doctrinæ Caluinianæ laus à Caluiniano profecta. Cape tibi hoc prædicans.

Ex omni ferè gente testes orthodoxi.

Responsio Vorstiana. Refellitur. prædicans contra tantam nubem testimoniorum? *Heshusius*, ait, *cum cæteris homo fuit, cum Papistis hac in re consentit, Caluinum non intellexit: iuratus est hostis Bellarminus: ex perturbatione animi loquitur Castalio.* Nimirum homo non est Vorstius: solus intelligit Caluinum Vorstius: vnicus est, in quem non cadit affectus iudex de Caluino Vorstius: Vorstius angelus est, (satis tamen barbatus & corpulentus) quem nec odium, nec amor Caluini, pro quo desudat, tangat; & Vorstius Stoicus est, qui nullos animi motus contra Iesuitas (quos maledictis lancinat quam potest grauissimè) sentiat: vni Vorstio testimonium dicere citra exceptionem omnem licet. Non te pudet, prædicans, tam miserorum effugiorum? quisquis contra te & *Caluinum testimonium* dicit eo ipso est hostis reiectusq; tuo iudicio. Videsne eadem ratione, te nihil vnquã per testes docere posse? videsne tribunalia omnia ac fora hac elusione perturbari? mox enim vt testimonium cõtra quempiam aliquis tulerit, homo est passionibus obnoxius, hostis est, aduersarius est excipere licebit. Caue tibi lis incidat in iudicio de facti cuiuspiã quæstione, nisi Deum ipsum angelosq; testes adduxeris, actum ages, tuaque ipsius excipiendi contra testes arte eluderis.

2. Argumentũ ex proprietatibus Sathanæ. SECVNDVM ARGVMENTVM. Si ijsdem coloribus & proprietatibus, Caluinus expinxit Deum, quibus delineari solet Diabolus; Deum vtiq; Caluinus trãsformat in Diabolũ.

At

At verum prius, verum igitur etiam posterius. Vis tota huius discursus in secundam sumptionem, siue minorem propositionem incumbit; hanc igitur ita probant thesses. I. Sathanæ colores proprietatesque sunt, hominũ corda indurare, excœcare, suis mendacijs decipere, & ad peccata sollicitare, non quidem modo quocunq; hæc operando, sed prout Gen. 3. 3. Reg. 22. Ioan. 8. 13. 2. Cor. 4. & alijs in scripturis hæc Sathanæ ascribuntur immittendo, influendo, & (quod plus est quam suadere) decernendo. At Caluini Deus ad eum modum in hominibus operatur hæc omnia. Probat id multis ex Caluino Bellarm. lib. 2. de amiss. gra. & statu pec. c. 4. & Becanus disp. cit. c. 10. Sed vnus nobis locus in thesi positus erit instar omnium, quo prædicantis simul fucatæ euasiones, & inepta subterfugia præcidantur. 1. Inst. c. 18. §. 2. *Dicitur etiam* (inquit) *idem Sathan. excæcare infidelium mentes: Sed vnde hoc, nisi quod à Deo ipso manet efficacia erroris, vt mendacijs credant, qui renuunt parere veritati?* quo loco, efficacia, qua intellectus excæcatur à Sathana, euidenter à Caluino arrogatur Deo. His gemella sunt, quę in lib. 2. Inst. c. 4. §. 4. dicuntur; *vt videas efficaciam agendi penes Deum fuisse, reprobos ministerium tantum præbuisse.* Occurrit prædicans in libello furtze Abfertigung (nam quæ in Apologia sunt apinæ tricæ post dissipabuntur) scribitq; pagina 17. *Deum impios excæcare & indurare, non permissione sola, sed*

Prima probatio minoris sumptionis.

à Deo Caluini est efficacia erroris in pseudoprophetis.

Solutio Vorstiana.

certa destinatione, quæ in subtractione diuinæ gratiæ & luminis cælestis aliorumq; donorum sit posita. Sed ego te oro lector, cui Caluini inspiciendi copia est, vt nonnihil mecum cõsideres quę ibidem verba à Caluino ponuntur, impostorem, & planè non alium quam impostorem perfrictæ frontis, prædicantem hunc clamabis. Vt enim omittam quod Caluinus inquit §. 1. loc. cit. directè contra prædicantem: *Si Dei iudicium est excæcatio & amentia Achab, nuda permissionis* (quæ subtractione gratiæ fit) *figmentum euanescit, quia ridiculum foret iudicem tantum permittere, non etiam decernere quid fieri velit, & mandare executionem ministris.* An quid clarius potest afferri ad impudentiam Vorstij ostendendam, quam cum scribit, 2. Instit. ca. 4. §. 4. *Scripturæ testimonia de Pharaonis induratione vltrà procedere, quam quod indicent tantum, quales Deus homines faciat deserendo* (nota bene prædicans) *cum indicent magis, qualiter opus suum in illis peragat, indurετq; plus aliquid faciendo, quam non emolliendo?* quàm cum inquit loco cit. *hæc* (excæcare, vertigine percuterè, obdurare, &c.) *ad permissionem multi reijciunt, ac si deserendo improbos à Sathana excæcari sineret. sed nimis friuola est ista solutio.* Potésne excæcate prędicans quid apertius adhuc requirere? quid vis vlterius? ais: Deum Caluino indurare subtractione diuinæ gratiæ & luminis cælestis: Negat id Caluinus, atque nimis friuolam esse illam responsionem.

refelli tur.

Caluinus apertè refutat Vorstium.

nem. Nonne eo ipso oppugnas illum, quem susceperas propugnandum? Si non satis assequeris quid sit Caluino, Sathanam mentes excœcare, sed à Deo efficaciam excœcandi erroris; velut è fonte primo ac authore manare: da saltem operam vt intelligas, quid sit, plus aliquid Deum facere indurando, quàm non emollire. Erubesce, cum te vt friuolum & ineptum ex sua perstringit sententia. Audi etiam vlterius ibidem contendentem, *Deum projicere homines in fœdas cupiditates, quia iusta sua vindicta præcipuus est author, Sathan vero tantum minister.* Quasi dicat: & Deus & Sathan proijciunt homines in fœdas cupiditates, sed Deus vt author præcipuus, & à quo sit efficacia proiectionis, Sathan solum vt minister: Deus voluntate sua efficaci & concursu influxuque efficaciam erroris affert; Sathan serui & instrumenti instar adiuuat: Deus vt causa efficiens prima (hæc enim Aristoteli est id vnde est efficacia, & primum principium motus & actionis) Sathan vt ab ea dependens. Eadem è Caluini præceptore Bucero com. in cap. 1. ad Roman. pag. 72. illustremus. *Apparet*, ait, *Deum cum seducit, tradit in reprobum sensum, immittit efficacem errorem, id facere non tantum deserendo, sed etiam animos hominū, vt errori concedant, inclinādo.* Adhucne perges mēdaciter impudēterq; Caluini sententiā deprauare? Adhúcne Buceri anos tuos

Quid sit Caluino à Deo esse erroris efficiam.

tuos & reformatos Sacramentarios, non desines emendicata à Catholicis doctrina ineptè excusare? Nota maiusculis, Deum Sacramentarium homines vt errori concedant inclinaro.

2. probatio minoris. II. Eadem minor hoc etiam modo in thesi confirmatur. Sathanæ viui colores lineamentaq; certissima sunt, mentiri, mendaciaq; subministrare. Ioan. 8. *Cum loquitur mendacium ex proprijs loquitur, quia mendax est, & pater eius.* Iam vero Caluini Deus mentitur, subministratque mendacia, tum quod eius instinctu, iussu, mandato, Diabolus mendacium loquitur, 1. Instit. c. 18. §. 1. *mittitur cum certo mandato, vt sit spiritus mendax in ore omnium prophetarum*; tum *quod ab eo manet efficacia erroris & mendacij.* ibid. §. 2. Explicemus id nonnihil: *Inducit in mendacium pseudoprophetas diabolus; sed non induceret, nisi eos Deus induci non tantum permitteret, sed etiam vellet, tergiuersando enim effugiunt Dei tantum permissu, non etiam voluntate hoc fieri.* ibid. §. 1 *Quod vult obtinet in errantibus Diabolus; sed non obtineret, nisi Deus simul efficacem illum errorem immitteret.* Vnde rectè Becanus: secundum Caluini Euangelium non Diabolus, sed Deus est pater mendacij; Deus, inquam, è lacu Lemano proseminatus. Nam verus ille 3. Reg. 22. non mittit Sathanam cum certo mandato mentiendi, vt vult Caluinus, sed permittit, vt quod se velle Diabolus iã dixerat, perficiat, eumq;

etiam

etiam superaturum prædicit ijs verbis: *decipies & prævalebis: egredere & fac* (vti constituisti).

III. Ad idem valet & hæc ratio: proditiones, rapinæ, homicidia non ab alio ortum habent, quam à Diabolo, de quo veritas ait Ioan. 8. *Homicida erat ab initio.* & 13. *cum diabolus iam misisset in cor eius, vt traderet eum Iudas.* at eædem illæ pestes humanarum societatum, ortum habent à Deo Caluinistarum reformato, vt qui vi sua occulta miseros mortales ad eas excitet, moueat, necessitet, 1. Inst. c. 18. §. 2. *Assyrios apparet certa destinatione Dei fuisse impulsos.* ad quid? Primo ad bellum, sed iniustum, quodq; sine peccato non posset suscipi. Deinde ad sæuiendum non absq; grauissimis delictis: hinc. ibid. §. 1. *Quidquid sæuitia exercent Chaldæi in Iudæa Dei esse pronunciat Ieremias,* (vt malè explicat Caluinus). Et §. 4. *homo iusto Dei impulsu agit, quod sibi non licet.* Tentat igitur proditiones, rapinas, homicidia, impulsu Dei, quæ sibi nō licent. Verba autem quæ ex Isaiæ 10. adfert pro Caluino Prædicans, quasi idem cum eo dicat, longè alium sensum habent. Nam illa *ad gentem fallacem mittam:* non aliud sonant quam permittam, Assyrijs sua sponte Iudæorum terris inhiantibus, vt quod volunt faciant, nec iam amplius furorem eorum contra Israel reprimam. Hoc modo venator dum laxat vincula cani, permittitq; eum incurrere in feram, dicitur canē in feram mittere, cum tamen

3. probatio minoris.

Solutio obiectionis Vorstianæ.

Deus mittit Assyrios, vt venator cū solui vincula, canes.

tamen solum ei permittat currere capereque leporem. Nec mandatum hic aliud intercessit, quàm quo Deus iratus & Iudæis protectionem suam abstulit, & hostibus sæuiendi facultatem permisit, ad eorum impietatem puniendam. Plura Bellarminus lib. 2. de amiss. gratiæ c. 13. Becanus in Disp. cit. c. 13.

probatio. Quarta

IV. Idem ex eo est ostensum, quod impellere homines ad impuritatem & fœdas libidinum species, non boni sed mali sit spiritus, & eius maximè, quem impurum immundumque dicimus, de quo Tob. 6. at Caluini sequaciumque ipsius Deus, homines impellit ad nefarias libidines. Disertè siquidem ait li. 1. Institut. cap. 18. §. 1. *quod Absolon incesto coitu patris sui thorum polluit, id Deus opus suum esse pronunciat* secundum Caluinum. non repeto Zvvinglij & Melanthonis verba in thesi posita: quæ sunt Caluini vrgeo. Opus suum esse vult Deus Caluinisticus. Quid? incestam pollutionem thori paterni: at incesta pollutio non est opus, quà opus, siue opus in communi acceptum, sed qua tale opus in specie: nempe quà turpe & infandum est. Nequicquam igitur aduersarius respondet §. 28. *infandam Absolonis libidinem esse opus Dei, quà opus.* Hoc falsum esse ipsi etiam sua occinuit conscientia, quando quasi dimissa priore responsione subdit; iam dictum *flagitium esse opus Dei,*

Refutatur prædicantis responsio.

quà

quà iustum iudicium seu punitio est. Si namque erat opus Dei quà punitio Dauidis fuit, erat ergo opus Dei, quà probrum & fœdum opus erat (hac enim ratione punitio adulterij Dauidis erat). Quod si autem opus Dei erat, quà fœdum opus erat, ergo etiam erat opus Dei, quà incesta pollutio & peccatum erat. Nam quà fœdum erat, peccatum erat. Ad quod igitur immediatè sequentibus verbis adiungit prædicans: fuisse quidem opus Dei, at non quà peccatum erat. En vt cohærent vix integræ tres lineæ prædicanticæ Antilogiæ verius quàm Apologiæ.

V. Tentare adeo Sathanæ proprium est, vt hinc per Antonomasiam Matth. 4. Tentator appelletur. Idem Actor. 5. in Anania. 1. Corinth. 7. in incontinentibus, & alibi videre est: ad eundem spectat cribrare Luc. 22. (Tentare autem & cribrare intellige prout locis iam citatis sumuntur, ne calumniator prædicans de tentatione in genere sermonem inferens, per Sophisticen suam declinet argumentum). At quin Caluini Deus, ad malum tentet, & cribret homines, nihil est dubium, quia tentatio Sathanæ magis est à Deo quàm à Sathana. Eius siquidem potius est, cuius est, vt imperantis & efficaciam suggerentis, quàm cuius est, vt duntaxat eam exequentis. Caluinus autem Quinta probatio.

1. Inst. c. 18. §. 1. cum prædicante §. 48. vult tentationem quà pœna quædam est (quod satis est nostro instituto) esse Dei, vt iudicis illam imperantis, Sathanam q; vt iræ eius ministrũ, cum certo mandato mitti (2. Instit. c. 4. §. 3.) vt eam exequatur, decipiatq; pseudoprophetas. Vult igitur Caluinus Deum suum esse tentatorem ad malum (esto id fiat in pœnam) non minus quam Diabolum, imò verò vult eum omnium tẽtatorum ducem & antesignanum. Hactenus de primæ thesis argumẽtis; de mendacijs post.

Sexta probatio.

VI. Ex secunda thesi clarè hæc demonstratio colligitur: Deum asserere scelerum authorem, est non tantum Diabolum cum Deo societate coniungere, sed etiam in ipsum Deum transformare, prout conceptis verbis cap. 4. contra Libertinos ait ille ipse Caluinus, vt nihil minus quam de hoc dubitare debeat Caluinianus prædicans. At ipse Caluinus astruit Deum scelerum authorem 1. Instit. ca. 18. §. 3. hoc modo cõcludens. *Iam satis apertè ostendi, Deum vocari omnium eorum* (puta peccatorũ quà peccata sunt) *authorem, quæ isti censores dicunt otioso tantum eius permissu contingere*: ipsius igitur Caluini propria confessione Deus est Diabolus.

CAPVT

CAPVT IV.

Dilutio generalium responsionum Prædicantis.

VT vim huius apodixeos aliarumq; elidat prædicans, multa vndecunq; potest, eaq; sæpè non satis intellecta, nec cohærentia, etiam ex Bellarmino & Catholicis coacerruat. Respondet primo: *quis credat Caluinum adeo dementem fuisse, vt ipse id disertè assereret, quod alijs pro summa blasphemia imputaret.* Ita disput. 1. Apologetica §. 35. Existimatque nec Caluinum, nec Melanthonem, alios q; potuisse hæreticorum more sentire & scribere contraria. Sed tute crederes iã nunc, mi prædicans, si, quod te monueram, secutus esses consilium, inspexisses q; secundam Becani quæstionem Caluinisticam, vbi contradicentia ex Caluino in lucem extrahit. Vis vt actum agam, & obiter eorum aliqua repetam? 4. Instit. c. 1. §. 4. ait: *extra eius* (Ecclesiæ visibilis de qua agit ibi) *gremium nulla est speranda peccatorum remissio, nec vlla salus.* Et nihilominus lib. 4. c. 16. §. 24. & 25. concedit filios fidelium ante baptismum mortuos consequi peccatorum remissionem, & salutem antequam sint in Ecclesia: quãdoquidem per solum baptismum admittuntur in Ecclesiam visibilem: vt vult 4. Inst. c. 1. §. 7. rursum 3. Inst. c. 2. §. 16. & sequentibus, negat eum esse

Caluinus sibi sæpe cõtrarius.

Extra Ecclesiam visibilem nõ est remissio peccati. Extra eam est remissio.

fidelem, qui non certitudine fidei credat, sibi remissa esse peccata: at in eodem c. §. 10. & 11. asserit neminem certò scire, veram se fidem habere, *tot vanitatis recessus habet, tot mendacij latebris scatet cor humanum, tam fraudulenta hypocrisi tectum est, vt seipsum sæpe fallat.* Sed nolo plura, ipsum adi fontem locis citatis: & si vis etiam Theomachiam Caluinisticam Feuardentij, plenam Caluini contradictionibus, simul etiam memento §. 12. primæ disputationis à te dictum: *Errare illi Doctores nostri.* (Caluinus, Beza) *potuerunt, & haud dubiè alicubi errarunt.* Noli mutare toties mentem & stylum. Crede tuo Stăcaro dicenti de Caluino: *nescit quid scribat, aut de quibus affirmet, modo vnam sententiam ponit, immediatè addit cõtradictoriam.* Crede Caluino de se suisq; reformatis humiliter sapienti semel, & dicenti in libro de scandalis: *Quod non eodem simul momento omnia viderint, quod non ad vnguem expolitum primo die tam arduum opus fuit, offendi se nonnulli causantur. Quam importunæ sint lautitiæ istæ quis non videt? perinde enim faciunt, ac si quis nos accuset, quod primo auroræ exortu Solem meridianum nondum cernimus.* Tuæ sunt istæ importunæ lautitiæ, prædicans, quas accusat; tua est stultitia, qui profectum inuides Caluino, visq; summo manè vidisse iubar meridianũ; profecit, correxit, mutauit sua, prout & communis hominum cõditio est (à qua se ipse exemit nunquam, vt ais §. 12.) & tempora, quibus ser-

Stancaro contradictoria scribit Calu.

Caluinus paulatim proficit.

seruiendū Caluinianis est, postulârunt. Quando Libertini instabant, arma illi assumenda fuere Catholica, eo quod aliter eos non posset prosternere. At contra Catholicos, sensit idem cum Libertinis; ne qua in re videretur cedere Catholicis.

Respondet prædicans 2. Deum non esse Caluino authorem peccati, vt peccatum est, §. 27. & alibi sæpe. Item in respons. ad 3. & 4. argumentum libelli Augenscheinliche außführung / &c. mendacium ait esse, Dei voluntatem & operationem extendi ad peccatum, vt est peccatum. Sed deerrat à mente sua & Caluini, quam inquirimus. Non enim dubitamus Caluino videri Deum velle & intendere ipsissimum peccatum, & quidem vt est peccatum. 1. Quia id vult Caluini Deus secundum occultum suum decretum, quod seuerè prohibet decalogo & in scripturis. At in Decalogo prohibet peccata quà peccata sunt. Eadem ergo vult etiam quà sunt peccata. Maior ex 1. Institut. cap. 18. §. 3. & cap. 17. §. 1. habetur vbi inquit: *Obijciunt, si nihil eueniat nisi volente Deo, duas esse in eo contrarias voluntates: quia occulto consilio decernat, quæ lege sua palam vetuit.* Quid autem Caluinus ad hanc obiectionem? hoc tantum: *Quomodo idem diuerso modo nolit fieri, & velit, non capimus.* Eho etiamnum prædicans Caluini tui mentem non perspicis? non audis:

Deum Caluini velle peccâtum vt est peccatum. 1. Ratio.

Idem illud quod vult Deus Caluino, nõ vult. at non vult Deus peccatum vt peccatum est, vult igitur etiã idem peccatũ vt peccatum est. At inquis qui id fieri potest? Audi igitur iterum & acquiesce. Caluinus ait, *non capimus.* Quid tu igitur diuertis à peccato ad opus vt opus, & ad alios id genus logos merissimos? Caluinus ait id non capimus, tun' maior Caluino & discipulus supra magistrum es? dic etiam de te: id non capio, & relinque tuas actiones & passiones malè realiter abs te distinctas, relinque pœnas cæteraq; quæ vis considerare in peccato. A catholicis ista sumpta, non faciunt ad stomachum Caluini, multo minus ad Zvvinglium; cui tamen imperitus agyrta eodem collyrio succurrere niteris §. 32. & 33. Explodit te cum glossis tuis Tom. 1. in explicatione Artic. 20. Vbi indignè ferens, ex sua doctrina inferri, hominem damnari propter peccata, quæ Dei potius quam ipsius sunt opera; respondet cum stomacho: *De hoc ipsum Deum interroga. Ego enim ei non fui à consiliis.* Fortasis iam tu Deum ipsius (album an atrum nescio) interrogasti, didicistique quæ non licuit Heluetio Patriarchæ loqui. Si non id factum adhuc, vnde hæc tibi notitia, quæ non nisi cõsiliariorum Dei Zvvingliani propria?

Calua Zvvinglij excusatio.

2. Ratio.

II. Quæ Catholici doctores volunt Dei permissu contingere, eorum omnium Deum esse authorem vult Caluinus eodem in loco, ridetq; nudam Dei permissionem in peccati

pro-

perpetratione, vt *mendacium, tergiuersationem, effugium repudiandum figmentum euanidum, friuolam solutionem, cauillum insulsum, dilutũ, insipidum.* At Catholici volunt peccata, vt peccata sunt, Dei permissu contingere. Vult igitur Caluinus Deum esse peccatorũ authorem quà sunt peccata. De secunda huius syllogismi propositione dubitari non potest, vt quam Scholastici accuratè tradunt in 2. sentent. dist. 37. & 1. 2æ. q. 79. Vide Bellarm. de amiss. gratiæ li. 2. Valentiam ad q. 79. 1. 2æ. Vasquez ibid. Molinam in 1am. D. Tho. Becanum c. 7. disput. de prædest. Veniamus ad maiorem, eamque probemus primo ex instituto Caluini, quod erat catholicorum sententiam refellere, vt videre est initio capitis §. 1. vbi statim reprehendit distinctionem inter agere Dei & permittere, aitq; *quod tergiuersando velint effugere, Dei tantum permissu, non etiam voluntate fieri peccata*, quasi dicat Catholicorum esse subterfugium voluntatem Dei permissiuam peccati inducere, sibi autem absurdum nõ videri, eius voluntatem verè actiuam esse respectu peccati, eiusq; causam, ita vt volente, iubente, & agente Deo fiat peccatum. 2. idem tota eius disputatio præ se fert, in qua permissionem semel atq; iterum vellicat, eos nugari & ineptire dictitans, qui in locum dictæ prouidentiæ nudam permissionem substituant, ac si eius iudicia pẽderent ab hominum arbitrio. 3. verba citata in thesi, 3. Ratio.

sunt clarissima, nec deprauationem prædicanticam patiuntur: *& iam satis apertè ostendi, Deum vocari omnium eorum authorem, quæ isti Censores dicunt otioso tantum eius permissu contingere.* Adde quod subdat, volente Deo Christum crucifixum, volente Deo Absolonem vxores patris stuprasse, volente Deo adeoque eius iussu Semei maledixisse Dauidi. Hæc nisi mentem perdidisset prædicans satis eum potuissent instruere, quæ esset mens Caluini circa peccata. Nec quicquam illi patrocinatur, quod Caluinus dicat *otioso permissu*; quia facit in eo quod solent calumniatores, qui vt habeant quod carpant, sua alijs affingunt. Nam Catholici nesciunt permissionem otiosam, nudâ quidem, & à quâ excludant Dei ad peccatum quâ peccatum est cooperationem, probè sciunt. Dicũt enim & docent Deum permittere, vt peccet homo pro libertate arbitrij sui, nec peccatum, sed peccati permissionem velle; at otiosam prorsus nesciunt. Nam ijdem tradunt eum peccata permissa pro sua sapientia ordinare, & ordinata tempore suo etiam plectere.

4. Ratio. Prætermitto iam quod communis sit Caluinistarum cantilena, Deum esse authorem vnius peccati in pœnam alterius: ex quo liquidissimè sequitur à Deo esse peccatum, vt peccatum est, de quo paulo post. Prætermitto alia quæ ex lib. 3. Institut. cap. 23. §. 4.

5. Ratio. & 5. alijs locis alij annotârunt. Hæc Caluini

uini regula est loco cit. §. 6. vniuersalis: *omnia quæ fiunt Dei voluntate & decreto fieri*, adeoque quæ futura sunt, ideo Deum præuidere, quia ita vt fierent decreuerit. Quod si ita est, nonne etiam necessarium est fateri, vel Deum Caluino futura peccata, qua sunt peccata, non præuidisse, vel si præuidit, vt fierent etiam decreuisse & voluisse? De hoc argumento qui plura volet legat Bellarminum li. 2. de amissione gratiæ cap. 4. Becanum loco cit.

An Deus velit peccatum sub ratione pœnæ.

Respondet 3. *Deum non velle aut destinare peccatum, nisi quatenus hoc ipsum pœnæ rationem habet, vt quidem interdum habere solet.* Ita disputat. prima Apolog. §. 25. quibus §. 46. addit, *punit interdum Deus peccata peccatis.* Sed hac euasione satis hic prædicans ostendit primò, se nec quid ex alijs transcriberet, nec quomodo sua connecteret, attendisse. *Vult Deus*, ait, *peccatum vt habet rationem pœnæ*; vult igitur peccatum ipsum, esto per illud pœnam etiam appetat. Vti qui vult suspendium Lauernionum, vt satisfiat iustitiæ, is omnino vult suspendium, esto præter illud etiam iustitiam spectet. Rursum vult ipsi Deus peccatum, vt pœna est alterius peccati, at peccatum pœna est & maxima quidem quatenus prægrandè malum est, & à DEO separat.

Vertigo Vorstiana & contradictio.

vult igitur peccatum quatenus est peccatum & malum. Quid igitur Battus iste toties recinit Caluini Deum nolle peccatum, nisi qua opus est? quid toties recoquit insipidam illam suam cramben Deum authorem esse actus vitiosi, & non inhærentis illi vitij? Sed & à vero est alienissimũ quod sumit, Deum peccatum vnum infligere vt pœnam alterius. Primò, quia non sunt facienda mala vt eueniant bona, Rom. 3. at peccatum malum est, & quidem omnium maximum in tota rerum natura, peccatum igitur Deo faciendum non est, vt eueniat iustæ pœnæ inflictio. Secundò pœna respectu iudicis eam infligentis, semper habet rationem vltionis, at nouum peccatum respectu *Dei non* habet rationem vltionis, sed offensæ nouæ & iniuriæ, quæ noua per illud irrogatur diuino *numini*. 3. Peccatum prout debet esse pœna, non amittit formalem rationem peccati, nec etiã malitiæ quam includit: at fieri non potest, vt hanc malitiam Deus expetat; eius enim natura bonitas est, à qua mali desiderium nulla potest ratione profluere, mali, inquam, ex se & intrinseca sua ratione: nec cum sectionibus vstionibusq; suis (quas æger appetit vt consanescat) occurrat iterum prædicans. Longè autem aliud est à dictis, Deum propter aliquod peccatum subtrahere gratiam, ex quo peccator cadit deinde in aliud peccatum, quia hoc nõ est Deum vel-

Deum non velle peccatum sub ratione pœnæ.

1. Ratio.

2. Ratio.

3. Ratio.

Præoccupatio.

velle ipsum peccatum, sed subtractionem gratiæ auxilijq́;. post quam subtractionem homo mala sua voluntate nouũ operatur peccatum. Bellarm. c. 17. loco cit.

Respondit 4. Diuersas esse causas impellentes & fines, quos intendat Deus, & quos homo vel Sathan sibi proponat: diuersum item esse sensum modumq́; quo operetur Deus, & quo operetur homo: Accedere præter hæc alias circumstantias, quibus facilè excusetur Deus, & peccati condemnetur homo. §. 23. & 29. Hæc adeo homini complacuit responsio quoad diuersitatẽ modi & circumstãtiarum, vt triumphos ante victoriam somniârit in responsione, eò quòd verbum hac de re fecissem nullum. Sed cur feciſſem? nihil affert prędicans: dicit multa, docet probatq; nihil. Scio Caluinum 2. Inst. c. 4. §. 2. eandem hanc respõsionem vsurpare monereq́;, vt finem agendi primum inspiciamus, deinde modum, quem Deus, Sathan, & homo in opere malo sibi prę figunt. Sed multis ibi modis & hunc prædicantem, & seipsum fœdè iugulat. Primo namque dicit, *Deum suo modo in reprobis agere, quod Sathan ipse (instrumentum cum sit iræ eius) pro eius nutu & imperio huc atq; illuc se inflectit, ad exequenda eius iusta iudicia.* Ex quo consequitur Sathanæ flagitia ex Dei imperio in reprobos exerceri, Deumque authorem & causam eorum esse potissimam. Deinde addit: *omitto hic vniuersa.*

Deus opus malum pa tratCaluino sed ob finem bonum.

Deus non generalitatum sed & speciali concursu operatur Caluino peccatum.

uersalem Dei motionem, vnde creaturæ omnes, vt sustinentur, ita efficaciam quiduis agendi ducunt. de illa speciali tantum actione loquor, quæ in vnoquoq; facinore apparet. E quibus verbis colligitur frustra ad commune apoteleſma, & opus quà opus, prædicantem ſe in Caluini doctrina recipere. Quandoquidem etiam Deus cum reprobis agit, & concurrit ad peccatum ſpeciali actione. Deinde concludens: *idem ergo*, inquit, *facinus Deo, Sathanæ, homini aſsignari, videmus non eſſe abſurdum, ſed varietas in fine & modo facit, vt illic iuſtitia Dei reluceat.* Vnde ſequitur iterum Caluino iudice Deo aſſignari opus, non tantum quà opus, ſed etiam quà facinus eſt, ſiue malum opus eſt, eiuſque eſſe authorem Deum, nõ minus quàm Sathanam, eſto in eodem facinore aliam habeat intentionem Deus, aliam Sathan. Sed ad rem. Nego varietatem eſſe in peccatoris fine & modo, quæ non ſit etiam ex ſententia Caluini à Deo, vt præcipua cauſa. Primò, quia Dei voluntas dicitur illi rerum omnium cauſa 1. Inſtitut. cap. 18. §. 2. at vero illa in fine & modo varietas intentioque peccatoris res eſt aliqua. illa igitur varietas etiam à Deo eſt, non minus quam à peccante, idemque intendit per peccatorem Deus, quod ipſe peccator. Erit igitur Deus & cauſa intentionis & modi variati. Secundò, Deus vult peccatum, ait me-

Non poſſe [illegible]tatẽ [illegible]n fine & modo agẽdi creaturæ malæ & Dei.

us

us Caluinopredicans, vult igitur etiam intentionem peccatoris malam modumque agendi, sine quibus peccatum, non est Caluinistis peccatum. Intentio igitur & modus non minus sunt à voluntate Dei, quàm hominis. Tertiò, Deus Caluinianus voluit & decreuit peccatum ab æterno, vt haberet in quo ostenderet puniendo iustitiam, & misericordiam ignoscendo, ergo etiam voluit & decreuit intentionem, in qua constituunt Caluinistæ peccatum. Quartò nego intentionem Dei bonam sufficere, vt excusèt opus in se malum. Nec in hoc argumentis meis prædicans in responsione satis adhuc fecit. Erat enim hæc quæstio, possetne Deus velle & operari peccatum, siue opus intrinsecè & ex natura sua malum. Respondet prædicans: *Quicquid agunt homines intentio iudicat omnes*, docetque intentionem in rebus ex se non malis valere plurimum ad earum bonitatem & malitiam. Sed quod hæc responsio nihil faceret ad rhombum, nec ad opus intrinsecè malum, de quo quærebatur, spectaret, succumbens demum argumento sibi obiecto, ait se nunquam asseruisse, Deum concurrere ad opus intrinsecè malum, idque se fateri, non furandum bouem, vt demus pauperi pellem, nec facienda mala vt eueniant bona. O Protheum, ô Chamæleontem, omnes colores pro re nata mien-

Prædicans declinat forum assumens res ex se adiaphoras, vbi agendum erat de actibus intrinsecè malis.

mentientem: quasi iam nõ satis ostensum sit, Deum Caluinistis concurrere ad peccatum vt peccatum est, esseque authorem peccatorum; aut quasi non sit communis hic Caluinisequarum coccysmus, ideo impiorum voluntates esse malas, quod in opere ad quod à Deo impelluntur & mouentur, malum eæ spectent finem, Deus autem bonum. Vide Caluinum 1. Instit. c. 17. §. 5. & in lib. de æterna prædest. Bezam in respons. ad Sebast. Castallionem, in refutat. 2. Calu. Zvvinglium sermone de prouidentia ca. 6. de quibus Bellarm. lib. 2 ca. 4. de amissi. gratiæ, &c. vbi perspicuis eos argumentis conuellit. Ex his iam nemo non intelligit, prædicantem etiam tum mentiri, cum mendacium impingit Iesuitis, in eoque falsi reum conuinci, in quo vult falsos mentitosque suos aduersarios.

Retorsio mendaciorum in caput Vorstij. Mend. Vorst.

Renumeremus illi impotẽtis impudẽtisq; linguę mẽdacia eodem quo ipse ea ordine adnumerauit Societatis professoribus. Tertiũ, inquit, mendacium Iesuiticum est, quod Deum Caluinus transformet in Diabolum. Sed in eo ipsemet vt iã euici mẽdacium dicit; tertium? non. quotum igitur? pauperis est numerare pecus: ditissimus est prędicans mendaciorum: & numero & mensura carent malesani capitis istius deliramenta & figmenta. Mentitur cum scribit §. 18. *Quod eãdem Caluinus deturpet fuligine Deum, qua Luciferum, mendacium est Iesuitarum*

Mendac. Vorst.

tarum quartum. Mentitur cum ait §.19. *quod Iesuitæ dicant propriam Diaboli esse notam positiuè hominum mentes excœcare, indurare, decipere, prout Genes. 3. locúq; notatis factum est, id quintum Iesuitarum mendacium est.* Mentitur cum dicit §.24. quod aiunt: *Deum Caluini positiuè indurare mendacium est sextum, idq; vel cœco perspicuum:* mentitur cũ scribit *eum deceptionis & erroris esse potissimam causam, mendacium esse septimum & octauum.* Mentitur §.26. cum asserit: *Eum extimulare ad rapinas, idq; factum in Assyrijs mẽdacium esse nonum & decimum.* Mentitur cum infit §.28. *eum fuisse cõciliatorem incestus Absolonici, mendacium esse vndecimum: cum tentare homines, esse duodecimum.* §.31. *cum Sacramentarium Deum Zvvinglio peccati authorem esse, vt est vitium internum contendit esse decimumtertium.* §.32. cum *Idem de Melanthone dicere, decimumquartum numerat.* §.34. *cum Caluino tribuere quod dicat se ostendisse Deum auctorem esse peccatorum, vult esse decimumquintum & decimumsextum.* Denique cum decimumseptimum facit, solum quia ita Vorstio sine teste placet, quod de Sathanæ imagine ex Delrio, Bredenbachio, Lindano & alijs est in thesi productum. Et quid non homini ex mendacijs consuto in Credo caluinisequarum est mendacium? Pulchrè Ecclesiastes cap. 10. *In via stultus ambulans, cum ipse insipiens sit, omnes stultos æstimat.* Et Caluino prædicans in fumis & mendacijs ambulans, omnes fumiuendos &

men-

mendaciloquentulos reputat, idq; tanta facit insciti a, vt cæcitate percussum à Deo existimes. Quod negârat in Latino, affirmat in Germanico exemplari. In Latino ait, *verba Melanthonis in thesi citata de adulterio Dauidis, &c. nusquam in Melanthone comparent, vt omnino credibile sit ei per mendacium afficta à calumniatoribus.* ita §. 34. At in Germanico concedit, in editione anni 1528. à se, prout allegata à Iesuitis erant, reperta, adeoque non Iesuitas, sed se more suo mentitum, dum mentiri contendit ipsos. Infelix Caluino prædicans, qui ministerium suum caluere & Caluinisticè mentiri, ita didicit, vt tamen ignoret, mendacem oportere esse memorem sui.

CAPVT V.

De imperitis calumnijs prædicantticis.

POtius quàm vt quicquam caninis suis arrosionibus & dentibus Prædicans relinqueret intactum, maluit etiam omnibus hactenus contestata notaque ineptè cauillari. Hinc 18. §. ineptit scribens: *Vnde Iesuitæ habeant, quod princeps cacodæmonum aliquando Angelorum pulcherrimus fuerit, & iam Lucifer appellandus sit ipsi viderint.* En quam hospes & peregrinus in omni vera Theologia hic meus est præ-

Lucifer princeps Diabolorum non est prædicans.

prædicans: non legit Ezech. 28. *Tu es signaculum similitudinis Dei:* quod peruetustus scriptor Tertullianus lib. 2. aduersus Marcionem de Lucifero intelligit: Non meminit de eodem Iob 40. dici: *ipse est principium viarum Dei.* Principium inquam non duratione, sed dignitate super res omnes, vt ibidem D. Hieronymus notat. Non expendit illud Esaiæ 14. *Quomodo cecidisti de cælo Lucifer, qui mane oriebaris?* quibus diuinus vates sanctis Patribus authoribus, allusit ad lapsum principis inter creatos spiritus: Non obseruauit hanc sententiam communem patrum esse apud Molinam in 1. D. Thomæ. quæst. 63. artic. 7. quem tamen se lectitare simulat. Solus est inter Christianos velut barbarus & Scytha, vel Tartarus quispiam, qui nescit vno omnium ore principem malignorum spirituum appellitari Luciferum, idque quod inter cæteros lucem prætulerit, supremusq; negatiuè fuerit in donis naturalibus, vnde occasionem superbiendi æquandique se Deo sit consecutus. Sed vocet eum vt libet, indigitetur Conss, vocetur Schwartz Caspar/Hans Wurst/vel alio quocunque nomine, idque in thesi loco vocis Lucifer substituatur æquè adhuc sibi constabit theseos veritas insignemque calumniatorem ostendet prædicantem. Rursum ineptit §. vigesimo quarto.

velli-

vellicans quod particula, Omnis, appoſita ſit Caluini teſtimonio ex lib. 1. Inſtit. c. 18. §. 2. Et vbi in genitiuo caſu eam debuiſſet intelligere, ipſe in nominatiuo illã accepit, nec Grammatici nec Dialectici boni perfunctus officium. Theſis ait: ille potiſſima potentiſſimaq; cauſa eſt, omnis omnino humanæ deceptionis, vt *à quo* omnis *emanet efficacia erroris*, idque vult à Deo Caluiniano nõ vnius magis, quam alterius erroris efficaciam eſſe, vt quorum par ſit ratio. Prædicans pro ſua ſapientia hæc mutat, & qui voculam omnis referre debebat ad vocẽ, erroris, vt eſſet probatio eius (quod Deus ſit cauſa omnis omnino ſiue cuiuſlibet deceptionis) maluit eã trahere ad dictionem (efficacia) turbareque primum verba in theſi poſita & pro ijs in ſua antilogia ſcribere à Ieſuitis dici, quod *à Deo emanet* omnis ſiue quæcunque *efficacia erroris* Caluino. Deinde placuit ei hoc modo eadem verba interpretari: Ieſuitas velle nullam efficientiam efficaciámue deceptionis eſſe à Sathana vel homine, ſed totam omnémue à Deo, quod non ſomniârunt: qui enim dicunt Deum Caluino potiſſimam eſſe cauſam inter omnes, illi alias etiam præter Deum volunt eſſe cauſas, puta hominem vel Sathanam: ijdem etiam efficientiam aliquam & vim cauſandi efficaciamq; relinquunt alijs cauſis, vt ſine quibus cauſæ nõ ſint veræ cauſæ. Verum faciamus dictum à Ieſuitis

Vt à Caluini Deo ſit omnis erroris efficacia.

tis omnem efficaciam erroris efficientiamq; esse à Deo Caluiniano: quid in hoc falsi? nonne ait Caluinus 2. Inst. c. 4. §. 5. *diuinitus efficaciam erroris & seductionis immitti, vt credant mendacio*? An hoc, diuinitus immitti seductionem, est humanitus aut imitus ex inferno efficaciam erroris manare? Nonne Caluino ibidem Deus iuste vindictæ (errorum, libidinū, prauorum desideriorum) præcipuus est author, Sathan vero tãtum minister & instrumentum? At minister instrumentumq; habet vim efficaciamq; à suo mouente. Quid? quod Caluinianus Deus, dat Sathanæ hominiq; peccandi potentiam & vires; quod datas ab æterno prædestinat ad patrandum peccatum; quod prædestinatas determinat in tempore, vt primus motor, author, impulsor ad peccãdum? quod cogat hominem ad delinquendum Zvvinglio cap. 6. de prouidentia? Quod deniq; solus peccet peccatiq; sit causa, vt Bellarm. c. 6. li. 2. de amiss. gratiæ, docet ex Caluinistis? An non hæc omnem erroris peccatiq; efficaciam esse à Deo satis apertè loquuntur? Sed dicet forte, vt hæc ita sint non tamen quippiam addi Caluini verbis debuit. Respondeo in germanica thesium versione diu ante omnes alogeticas disputationes prædicantis edita particulam (omnis) non reperiri, idq; ipsummet rhapsodum in sua apologia Germanica §. 24. agnoscere, vt si non caput sine cerebro fuisset, vel

Omnem efficaciam erroris efficiẽtiamq; esse à Deo Caluini.

ex eo vno suspicari potuisset, illam germanici exemplaris à Latino discrepantiam consulto consilio factam. Et quo illo, nisi vt ostenderetur, eam vocalem in Caluino non esse explicitè positam, erui tamen manifestè ex contextu? Atq; hac causa diuerso charactere à Caluini verbis in iteratis thesium Latinarum editionibus impressam. Sed quid? Nonne & tu, mi Caluino prædicas, hoc iuris & amplius tibi sumpsisti in Enchiridio tuo, dum (vt ais) erroneas Bellârmini propositiones pro tuo Caluiniano stomacho coaceruas? nõne addis, demis, mutas eius verba, idq; (vt dicis in præfatione) quod sensum earum quam breuissimè scilicet, & clarissimè exprimere studueris? & quo modo expressisti? eo quo vel pueri rudimentarij, vel puellæ catechisticarum quæstiuncularum peritæ, te inscitè admodum mẽtitum deprehẽdant. Septimam hanc facis Bellarmini propositionẽ inter errores de missa:

Prædicans falsarius esse conuincitur.

Crimen falsi.

Missa etiam ritè pro sanctis mortuis, licet in cœlo iam regnãtibus celebratur. Nõ est hæc vllo modo Bellarmini propositio, sed crassum tuum deliramentũ: pro triumphãtibus cum Christo nõ oratur à Catholicis, Iniuriã enim martyri, etiã alijs cœlitibus, facit, qui orat pro martyre nedũ vt celebretur, pro eo. *Non repugnat*, ait, Bellarm. li. 2. de Missa c. 8. propositione prima & secunda, *institutioni cœnæ Domini, vt in ea nominentur, honorẽtur, inuocẽtur sancti, modo quo ab Ecclesia Catho-*

Catholica solent inuocari. Est hoc idē, quod missa p̄ sanctis mortuis ritè celebratur? Iterū inter errores de Rom. Pōtifice hunc vndecimū tribuis Bellarmino: *pie creditur Pontificē, ne quidem vt particularis persona est, hæreticū fieri posse: licet & rationes euidētes & exēpla plurima in cōtrarium afferri soleant.* Nōne & hęc cōtra mentem authoris tuo plena est Caluinistico fermento? nōne rationes exemplaq; tuorum fabulonū solidè refellit, quę tu euidentia vocas? qui tibi arrogas hanc Bellarmini peruertendi facultatem, relinque nobis saltem explicandi Caluini vna vocula subintellecta potestatē: nec illico, p̄ma ligno tuo morosoq; ingenio rode in nostris, quæ, si ita libeat, frequētissimè culpare possumus, recta cum ratione, & quidem grauissimè, in tuis. Quod etiam ais §. 32. *Zvvinglium ineptissimè dici primipilum Caluinianorum, quia antequam Caluinus innotesceret obierit*: Illud nihil aliud me monet, quam te erronis instar vndecunque glebam arripere, & ineptissimum esse cauillatorem. qui nescire te simules à Zvvinglio primum pilum Sacramentariorum vibratum, quo Catholicam Ecclesiam perimeret, hæreticamq; & Caluinisticam cœnam propugnaret. Addo si propterea ineptissimè dicitur Zvvinglius princeps Caluinianorum, quia ante Caluinum obierit, etiam ineptissimè dicentur à Caluini sequis nō Catholicorū modo consensione, sed & ipsorū Sacramentariorum

Ineptè negat Zvvinglium primipilum esse Caluinistarum.

confessione D.Paulus,Petrus,Lucas,Christus, principes primipili & duces Caluinistarum, qui iam mille ante Caluinum annis,& eo amplius,mortale hoc corp⁹ exuerũt. Alios quosdam errores accumulas de confusione generis & speciei, operis & vitij inhærentis, aliorumq́; supra refutatorum. Sed ijs nihil aliud efficis, quam vt videamus te esse nouum quẽdam Chinensem Deum Confusium. Hæc ad primam criminationem.

TERTIA THESIS.

PATREM. *Et hic (quod erat necesse transformato iam Deo) in vitricum, in Tyrannum, in Carnificem multis nominibus ac modis à Caluino est commutatus. Primum enim diu ante præuisa peccata omnia, atq; adeo ab æterno, prius atrocem in humanum genus tulit sententiam; quam perspexerit causam, prius sempiternis hominem adiudicauit inferorum supplicijs; quam vlla eius præuideret flagitia. prius definiuit vniuscuiusq; reprobãdi pœnã; quàm cognõrit culpam.* Homines, *ait*, lib.3.Inst.cap. 23. §.2. nudo Dei arbitrio, citra proprium meritum, in æternam mortem prædestinantur. & ibidem cap. 22.§.3.vbicunq; regnat hoc Dei placitum nulla in considerationem veniunt opera. *Quid autem postea? vt hoc quod decrerat ad eum modum iniustè, videretur tamen exequi iustè, non permittendo tantum laxauit habenas malis spiritibus, ad hominem in scelera quaq; propellendum: verum etiam vt*

id

id facerent, illis iniunxit. Scimus, ait, lib. 1. Instit. c. 18. §. 1. Sathanam se coram Deo sistere ad excipienda iussa non minus quàm Angelos: nec quid aggredi nisi volente Deo, cuius cum certo mandato mittitur, vt sit spiritus mendax in ore prophetarum. ad cuius nutũ potentiamq; respõdet instrumentum magis ipsius in agendo; quàm author. Lib. 2. Instit. cap. 4. §. 5. *Praterquam enim quod iurato nostro hosti mandat imbecilli homuncionis oppugnationem; eum etiam occulta quadam vi, in illo oppugnando supplantandoq; adiuuat, adigitq; Sathanæ & peccato victas manus dare.* Agit igitur homo *lib. 1. Inst. cap. 18. §. 4.* iusto Dei impulsu, quod sibi non licet, *& in quo peccat, flammasq; meretur æternas.*

QVARTA THESIS.

EXcusatum à peccato hominem putasset alius in eo, *quod voluntatem suam voluntati ac impulsui* conformasset diuino; vt cui nec debeat, nec possit resistere. *Sed nequaquam eum excusari apud Deum permittit Caluinus.* Excusabiles, ait, lib. 3. Inst. c. 23. §. 9. peccãdo haberi volunt reprobi, quia euadere nequeunt peccandi necessitatem; præsertim cum ex Dei ordinatione sibi injiciatur huiusmodi necessitas. Nos vero inde negamus ritè excusari. *Ne vero quid deesset ad certam hominis perniciem & interitum; idem ille pius Caluinistarum Parens legem homini dedit; quam nec per gratiam Dei quantamcunq; etiam, posset seruare.*

Hinc Caluinus, 2. Instit. c. 7. §. 5. quod impossibilem legis obseruationem diximus, id est paucis explicandũ simul & cõfirmandum; in Antidoto Concil. Trident. sess. 6. mihi abundè sufficit neminem extitisse vnquam, qui legi Dei satisfecerit, nec vllum posse inueniri. *Vt autem crudelius posset deinde in transgressorem desæuire, minimis & læuissimis lapsiunculis desideriolorum ac verborum inanium, maximas & grauissimas pœnas æternæ mortis præfixit.* Nõ est, *scribit Caluin.* lib. 2. Inst. c. 8. §. 58. 59. quod vel leuissimas cupiditates (etiam omnem deliberationem antegressas) iudicio mortis eximamus. Quare habeant filij Dei (*Caluiniani*) omne peccatum mortale esse, quia est aduersus Dei voluntatem rebellio. *Quis vnquam Vitricus, aut Tyrannus, aut Carnifex, si eiusmodi Deus est Pater? Herodes, Nero, Caligula, Busyris, Mezentius præ hoc Caluinistico Deo quidam Mitiones fuere.*

CAPVT VI.

Deum Patrem Caluinistarum tyrannicè hominem damnare ante cognitionem causæ.

Descriptio Dei Calecutani.

DEVM Calecutani in oriente effinxerunt (nec longè ab his abierunt Mexicani ad occidentem) quatuor insignem cornibus, ore vastissimo hiantem, deformem naso, toruis luminibus, ac minaci vultu truculẽtum, horribi-

ribilem hamatis digitis, vncorum vel harpagonum instar, vt est apud Lodouicum Patritium Nauigat. lib. 5. cap. 2. Pro Deo sibi nõ dissimile quid proposuere Caluiniani, qui Diabolum in Dei locum substituerunt, & ex patre effecerunt tyrañum ac carnificem, & vt canit ille; Monstrum horrendum, informe, ingens cui lumen ademptum. Prius iam demonstratum est contra Caluinoprædicantem, posterius ex analysi tertiæ & quartæ thesisiã ostendemus. Primum in ijs argumẽtum est. Tyrannus adeoq; carnifex & tortor humani generis est Diabolus, vt qui tanquam leo rugiens circumeat & quærat quem deuoret. 1. Petri 5. At vero Caluinistarum Deus Pater, est Diabolus, prout iam inuicto argumentorum robore cõstabilitum est. Caluinianus igitur Deus est tyrannus, adeoque carnifex sæuissimus. Nihil in hoc discursu obscurum, nihil est quod non per se sit notum vel iam ante probatum. Secundò, crudelis tyranni est, ante subditos condemnare ad pœnam, quam aduertat & intelligat vllam omnino in ijs culpam. At Caluinianus Deus pater ante reprobos condemnauit ex mente Caluini ad pœnam, quàm intellexerit originalem actualémue culpam. Erit igitur Caluinianus Deus pater, crudelis tyrannus: & hoc crudelior immaniorque, quo horribilior est pœna æterna corporis & animæ mẽdios

Caluinistarũ Deum esse tyrannum.

1. Argum. quia est Diabolus.

2. Arg. condẽnat ante cognitionem causę, ergo.

inter inextinguibiles ignes, quàm sit momentaneum hoc in orbe supplicium. Maiorem credo sibi probari non exiget prædicans, ne & contra naturæ lumen, ac notitiam venire videatur, & à Virgilio discere cogatur tyrannicum id esse:

Sic volo, sic iubeo, sit pro ratione voluntas.

Minorem vero non minus solidè quàm clarè in disp. de prædest. ca. 1. iam pridem prædicantem meum edocuit è Societate Iesu Becanus, etsi id Caluinisticè veteratorieq; dissimulet. Potest autem sic expediri breuiter. Primò, Caluinus lib. 3. Instit. c. 21. §. 7. scribit, *Discimus æterno & immutabili consilio Deum semel constituisse, quos olim assumere vellet in salutem, quos rursum exitio deuouere, hoc consilium, quoad electos in gratuita eius misericordia fundatum esse asserimus nullo humanæ dignitatis respectu. Quos vero damnationi addicit, his iusto quidem & irreprehensibili, sed incomprehensibili ipsius iudicio vitæ aditum præcludi.* Quæro ex prædicante, quod est iustum illud iudicium sed incomprehẽsibile Caluino, quo reprobos damnat Deus Caluinisticus? non sanè illud, quo præuiso iam peccato adiudicat peccatorem subsecuturis supplicijs, quia comprehensibile est rationiq; humanæ cõforme, quæ dictat, vt qui peccauit, etiam puniatur. Erit ergo iudicium illud decretumq; quo ante præuisionem omnis peccati hominem destinat ad supplicium. Exprimit idem illud

Assumptionis probatio. 1.

ibid.

ibid.c.22.vbi cum §.1. eam explosisset sententiam,quæ tradidit illos à Deo in filiorum locum cooptari, quos sua gratia non indignos fore prægnoscit:at mortis damnationi deuoueri quorum ingenia ad malitiam & impietatem propensa despicit,subdit §.3. *vbicunque regnat hoc Dei placitum nulla in consideratione veniunt opera:* quod deinde apertius euoluens §. 11. *vides,ait,vt in solum Dei arbitriũ vtrunq;* (electionẽ & reprobationem) *conferat? Ergo si non possumus assignare rationem, cur suos misericordia dignetur,nisi quoniam ita illi placet, neq; etiam in alijs reprobandis aliud habebimus, quam eius voluntatem extra quam nihil causæ quærendum.* Ex his luce meridiana clarioribus, licet, vt hoc pacto argumẽtemur secundum Caluinum: quo modo Deus se habet in electione saluandorum, ita etiam se habet in reprobatione damnandorum, at electio fit ab eo ante præuisionem & considerationem omnis operis boni, vt §. 3.affirmari à Caluino prædicans concedit, ergo etiam reprobatio fit ante præuisionem omnis omnino operis mali. Quod autem Vorstius Bellarmino lib.2.de grãtia impium Caluini dogma affricare conatur, facit in eo hæreticorum more, nihil non deprauantium, quia Bellarmini contradicentis Caluino c.16. (quem locum notare illi non libuit) hæc sunt clarissima verba: *reprobationem iustissimam cõtra Caluinianos* (audi Caluiniane falsarie & erube-

Defenditur Bellar. cõtra prædicantem.

scę) *defendere cogimur, qui cum homines ante præuisionem peccati ad peccatum, & mortem æternam prædestinatos esse contendant, cũ ipsa Dei iustitia pugnant & omnia hominũ scelera in Deũ authorem refundunt.* Nõ ergo, vt putat Prædicans, Bellarm. loquitur de destinatione reprobrũ ad interitum ante præuisum originale peccatũ, de quo cõtra Caluinũ disserimus, sed de reprobatione post præuisionem sceleris ac labis à primis parentibus transfusæ: Quando iam totũ genus humanum diuino intellectui obijciebatur, velut massa perdita è qua clementer alios extolleret ad gloriã, alios iusto iudicio in ea relinqueret ad pœnam. Idem Augustinus, Prosper, Bernard. D. Thomas cum suis affectatoribus (quos citat prædicans) *voluerunt.* Sed stupor prædicanticus non intellexit subtilitatem distinctionis Scholasticæ. Nec illud silendum prædicantem sibi hac in re non cõstare. Nam §. 43. inquit. *Et tamen si de reprobatione illic apud Caluinum ageretur, certè ex natura contrariorum tandem omnino consequens esset, vt si illa* (electio) *dependet à solo Dei beneplacito, hæc reprobatio ab eodem dependeat.* Quibus tamen mox §. 44. contradicit: *Libentius illis accedo, qui positiuæ reprobationi respectum peccati, vt causam aliquam includũt.* Ita intra pauciſſimas lineas vertiginoso capiti reprobatio positiua & cõtrariè opposita electioni, dependet à solo Dei beneplacito, & eadem ab eodẽ solo nõ dependet, sed respectum pec-

Contradictio prædicãtica. Reprobatio positiua est à nudo Dei arbitrio, nõ minus quam prædestinatio. Et non est a nudo Dei arbitrio.

peccati vt causam includit. O dignũ Helleboro & Antyciris caput, cui simul & respectu eiusdem idem est & nõ est. Sed eandem assumptionem secundo probemus ex loco Caluini citato in thesibus, ex 3. Instit. c. 23. §. 2. *Homines nudo Dei arbitrio citra proprium meritũ in æternam mortem prædestinantur*, & ex c. 22. §. 3. *Vbicunq; regnat hoc Dei placitũ nulla in considerationem veniunt opera.* Ad priorem locũ respondet §. 42. malitiosè obiectionẽ apud Calu. assumptã pro respõsione. Sed in eo nihil alienũ à suo ingenio facit: peruertit sensum Caluini & cìtantiũ eius verba. Inspiciamus enim text. §. 1. *Minimè*, inquit, *cõsentaneum est, præparationẽ ad interitũ aliò transferre quam ad arcanũ consiliũ Dei*, idq; probat plurib. Repetit idẽ illud mox §. 2. sed per modũ expostulationis, aitq;. *Esse igitur cur expostulent homines cũ Deo, si nudo eius arbitrio citra proprium meritũ in æternam mortem prædestinantur.* Non est hoc obiectionem mouere & soluere, sed id ꝙ dictum erat admittere, solumq; expostulare de crudelitate, ita præparãtis ad interitum pro nudo suo arbitrio. Idem sequẽtia ibidem indicãt. Quod enim ad hãc expostulationem afferret §. 2. aliud non inuenit, quam *improbitatis esse, causas diuinæ volũtatis* (vel nudi arbitrij) *percontari; nefas esse imaginari causam vllam, vel aliquid quod antecedat Dei voluntatem: ipsam esse summam iustitiæ regulam. vbi ergo quæritur, cur ita fecerit Deus* (præparârit ad mortẽ hominem) *respondendũ, quia voluit. Quod si vltra pergas rogãdo,*

Assumtionis probatio tertia.

Subterfugium prædicantis.

Confutatur.

cur

cur voluerit, maius aliquid quæris & sublimius Dei voluntate, quod inueniri non potest. Hæc Caluinus abnuens planè aliquid (siue peccatum siue aliud quid) imaginandum, quod damnationis causam ostendat. Vt proinde, quas prædicans ex obscuris Caluini verbis format responsiones ad eam quam ipse sibi finxit moueri quæstionem, eæ nihil ad summam rei faciant.

CAPVT VII.

Vt prius & posterius in diuinis detur?

PRædicans vt magis perspicuum efficeret stuporem suum §. 40. ait *quæ coæterna sunt ea certè simul sunt & proinde neutrum horum* (decretum & præscientia) *præcedit, neutrum sequitur.* Quid autem postea? audi & demirare hominis subtilitatem: *Ergo voces istæ: ante præuisa peccata, prius tulit sententiam, aliaq; id genus ineptè à Iesuitis vsurpantur, cum antè, & priùs sint aduerbia temporis, durationisq; ordinem significent, aut si ordinē naturæ per ea indicare velint, fraudulenter agere deprehendetur & sibi aduersari.*

Spectatum admissi risum teneatis amici.

Meus prædicans theosophus & probè versatus videri vult in Molina & Suarez, eosque laudat vt suę sententiæ approbatores. Sed errat, & quidē prædicantissimè & crassissimè.

Neq;

Neq; enim apud Theologos duo tantum isti modi sunt priorum & posteriorum tempore ac natura, sed sublimius euecti etiam prioritatem quandam agnoscunt, vt loquitur Molina in 1. part. D. Thomæ ad quæst. 14. art. 13. disp. 18. membro 1. secundum nostrum intelligendi modum cum fundamẽto in re, in qua prioritate non datur instans vel naturæ vel temporis, in quo sit vnum & non aliud, sed propter dependẽtiam attributorum actuumue diuinorum à se inuicem vel ab alio, concipitur à nobis appositè vnum prius altero. Aeternum cogitamus Deum propterea quod intelligamus immutabilem, & omnis vicissitudinis obumbratę expertem: immutabilem autem concipimus, quia agnoscimus eum actum purum, in quem non cadit potentialitas. Esse actum purum hac ratione & modo intelligendi humano, est prius quam sit esse immutabilem, & hoc quàm sit esse æternum. Quod si necdum hæc capis, accipe aliud exemplum. Vt explicemus mundi huius molitionem dicere solemus, Deum prius respexisse ideas rerum & modum fabricandi mundi agnouisse, posterius autem voluisse fabricare, & ad extremum voluntatem etiam ad effectum deduxisse. Non ignoramus ipsos intellectus voluntatisque actus in Deo fuisse æternos, sed quod actus voluntatis apprehendatur vt supponens actum intellectus, hunc illo priorem

Quo modo vnum alio sit prius.

dici-

dicimus, disputamusq; cum Theologis vtrum præuisio peccatorum vel electio aliqua antecedat prædestinationem, vtrũ prædestinatio Christi sit facta ante præuisum Adæ lapsum vel post. Finitas angustiæq; intellectus creati faciunt, vt numen infinitum, & quæ ei competunt, multis conceptibus cogamur apprehendere. Lege Molinam aliquanto accuratius quàm adhuc feciſti in loco cit. & ad quęſt. 23. artic. 4. & 5. diſp. 1. Membro 7. Suarez Tomo 1. in 3. D. Thomæ & de Deo trino & vno. Theologos Scholaſticos in 1. Magiſtri ſententiarum d. 14. & in 3. d. 7. ne ſemper, vt cæcus de coloribus agas. Sed hic ego iterum tuam requiro *ſapientiam*, qui finem non facis *tibi contradicendi*: peccârunt Ieſuitæ, quod vſi ſint vocibus, prius & poſterius, & ipſemet ijs quoad rem *ſignificatam* vteris. Nam 5. 41. vis præſcientiam propriè dictam ſequi actum liberæ voluntatis in Deo. Si ſequitur ergo ipſa eſt poſterior, actus autem voluntatis liberæ eſt prior. Eſt igitur in æternis, etiam te iudice prius & poſterius, vnumque præcedit & alterum ſequitur. Vel igitur tuum ipſius loquendi modum crimināre, vel Ieſuitas tecum calumnia libera. Quod vbi feceris, hanc iterum contradictionem in tuis dictis expedire poteris. In diſput. 5. de Deo, theſi 14. 15. 16. & 17. triplicem Dei ſcien-

Contradictio Vorſtiana.

Alia contradictio Vorſtiana.

scientiam constituis, necessariam, liberam, mediam. De necessaria (quam simplicis intelligentiæ nostri vocant Scholastici) scribis quod Deo simpliciter sit naturalis omnem liberum actum voluntatis ordine naturæ antecedens, qua Deus seipsum & quicquid naturali necessitate in se continet, non nisi vno immutabili modo intelligit. Liberam definis, quæ liberum voluntatis actum sequitur, qua nouit quicquid extra se facit, aut permittit, vel facere permitteréue decreuit. Hanc etiam visionis scientiam vocant Theologi Catholici. Mediam denique appellas, per quam Deus ex hypothesi nouit tales euentus futuros, si tales causæ ponantur. Hæc vtà Molina Catholicisque emendicata sunt, ita pessimè cum ea tua Caluinistica doctrina q̃ §. 41. tradis conspirant. Sic enim progrederis §. 41. *Nihil certò potest sciri, nisi quod certò futurum est. nihil autem certo futurum est, nisi quod certam & immutabilem sui causam habet, ergo infallibilis rerum præscientia supponit aliquem actum voluntatis dictæ.* Non morabor in sumtionum istarum falsitate retexenda. Hæc tantũ quæro: primò, an infallibilis non sit in Deo scientia rerũ possibilium? at ea etiam te censore non sequitur liberum voluntatis actum. Rursum quæro, num infallibilis non sit scientia in in Deo rerum ex hypothesi futurarum? Atq; nec illa prior est actus aliqs diuinæ volũtatis,

vt

vt in citata theſi 17. fateris, cum ais, eam partim neceſſariam, quia liberum actum voluntatis anteit, partim liberam, quia includit hypotheſin voluntatis indeterminatæ, & velut adhuc pendentis (ſiue nondum in actum prorumpentis). Non hæc aptè cohærent inter ſe; infallibilis rerum ſcientia præſupponit actum voluntatis in Deo, & eadem non præſupponit actum voluntatis in Deo. Neq; eſt quod clames: explicent igitur Ieſuitæ quomodo præſcientia futurorum cõtingentium in Deo infallibilis eſſe queat abſq; præuio Dei decreto: quia id iam explicuit, alijs ſilentio prætermiſſis, Franciſcus Suarez in opuſculis lib. 1. de abſoluta ſcientia futurorum contingentium cap. 8. cuius opuſculi *cum citas cap. 5.* pro tuo *deliramẽto ſtabiliendo*, manifeſtam viro calumniam facis; vt qui cap. 5. nõ de præuio tuo decreto ſomniet, ſed doceat Deum nõ cognoſcere hæc futura in ſola ſuæ ſcientiæ efficacitate, & mox *cap. 6.* contra te ex profeſſo tractat pluribus, ex decreto æterno diuinæ voluntatis non ſumi ſufficientem rationem huius ſcientiæ. Niſi lithinus prædicans eſſes, poteras erubeſcere de tam euidenti mendacio. Sed iam quaſi omnia probè geſſeris nõ ceſſas rogare; quomodo igitur Deus futura certò præſcit? Obſecro te qui caput quintum huius authoris legiſti, nunquamne ad octauum etiam pertingere potuiſti? vt ſaltem inſcriptionem

Prædicantica & punica fide citat Suarez.

nem capitis aspiceres, cognoscereſque Deum futura ista cognoscere per simplicem intuitum rei quæ futura est in sua temporis differentia. Verum longius ab argumento ineptijs prędicanticis abducti sumus, ad lineam reuertamur.

Vt Deus futura contingentia prœuideat.

CAPVT VIII.

Deum patrem Caluinianum præcipitare hominem in peccati culpam, vt possit tyrannicè infligere pœnam.

TErtium principale in thesi argumentum est: Non patris sed vitrici tyranniqúe est, miserum hominem, & per se vim ei occultam adhibendo, & per Sathanam, furori eius habenas laxando, in culpam & peccatum præcipitare, vt æterna ipsum pœna possit affligere. At Deus Caluinisticus & per seipsum & per Sathanam hominem præcipitat in peccata, vt habeat culpam quam puniat. Deus igitur Caluinisticus est vitricus & tyrannus. Prima propositio ex se euidens declaratione non eget, secundam probat thesis 3. ex Caluino 1. Instit. ca. 18. §. 1. dicente: *Scimus Sathanam se coram Deo sistere ad excipienda iussa, non minus quàm Angelos: nec quid aggredi nisi volente Deo, cuius cũ certo mandato mittitur, vt sit Spiritus mendax in ore prophetarum, &c.* & lib. 2. cap. 4. §. 5. Probauit idem ante Martinus Becanus cap. 2. 9. 10. & alibi disp. de

3. Argum.

authore peccati, & cap. 3. de prædestinatione, vt superuacaneum sit plura hanc ad rem argumenta è Caluino accumulare. Tantum ea quæ è Caluino adducta sunt loca à calumniatore prædicante vindicabimus. Si tamen prius hoc supposuerimus, Deum istum Caluinianum ab æterno prædestinasse lapsum Adæ, vt haberet occasionem ostendendi suam misericordiam in condonando, iustitiam vero in plectendo. Rotundis id verbis disseruit Beza in colloq. Mompelgardensi, fol. 537. & seq. & anteced. vbi tanquam Mercurius quidam (sic enim Smidelinus ridet ibi Hugonottum) cœlo dimissus ab alto, postquam reuelauisset Deum in æterno consilio suo, primum cogitasse de creando homine, vt misericordiam in saluandis, iustitiam in *damnandis* ostenderet; addidit, ad *hunc* finem fuisse Deo necessarium, vt primus parens cum tota posteritate in peccatum incideret, atque ita omnibus constitutis in peccato *alijs* misericordia, alijs iustitia contingeret. Itaque Deum fecisse alterum decretum quo absolutè voluerit & ordinârit, vt Adam cum posteris peccaret. Quod his verbis inculcat Beza, idem cum eo sentit Magister ipsius Caluinus 3. Instit. cap. 21. 23. 24. Verbis à Becano citatis cap. 2. disput. citat. His ita suppositis, dicimus Deum Caluinistarum eos, quos æterno consilio decreuit condemnare, partim occulta vi proijcere in pec-

Deus Caluinisticus vult mederi, hoc vt possit, absolutè vult omnes vulnerari.

in peccata, partim ad id Sathanæ vti opera. Prius de occulta vi, perſpicuè manifeſtant hæc Caluini verba lib.1.c.18.§.4. *agit homo iuſto Dei impulſu, quod ſibi non licet.* Rogo enim ex prædicante, quid eſt hic Dei impulſus? nihilne vel aliquid? ſi aliquid, occultúmne id eſt, an manifeſtum? víſne aliqua & quidpiam efficax eſt à Deo volẽte profectum? quid hic refugit ad latebras prædicans, & locutionem Caluini §.51.& 52. aſperam, duram, incommodam claritatis? ex verbis de ſenſu Caluini iudicamus, nec ambigimus, quin eũ ſimus aſſecuti. Nam recordamur 3.Inſtit.ca.23.§.1. *præparationem ad interitum in arcanum Dei conſilium transferri* §.4. *Dei voluntate* §.6. *eius nutu euenire omnia* §.7. *ideo præſciuiſſe hominem lapſurum, quia decreto ſuo horribili ſic ordinarat.* §.9. *ex Dei ordinatione hominibus peccandi neceßitatem inũcti* §.4. *Dei voluntate vniuerſos filios Adæ in præſentem conditionis miſeriam decidiſſe.* Hanc præparationem ad exitum, hunc nutum & Dei voluntatem, hanc peccandi neceſſitatem, quæ à Caluiniano Deo infertur, arbitramur non fieri abſque aliqua vi occulta & concurſu qui incitet, moueat, neceſsitet ad omnia vitiorum genera humanum genus. Quod autem iterum decurrit prædicans ad iudicium pœnale in his peccatis, & ad alia antè confutata, nihil eum iuuat. Inſtituto enim noſtro ſatis eſt, hominem à Caluiniano Deo impelli ad id, in quo peccat. Poſterius

Deum Caluino occulta vi proiicere homines in peccatum.

Prædicans Caluini locutionem rodit.

Deũ Calu. Sathanam pro instrumento vsurpare ad trahendos homines in peccata.

autem de opera instrumẽtaria Sathanæ à Deo Caluinistico requisita ad impellendũ hominem, lucidius ex citatis in thesi Caluini testimonijs patescit, quàm vt ambagibus prędicanticis possit inuolui. Neq; est crimen falsi vt opprobras, breuitatis causa coniungere diuersas sententias prætermissis interiectis. Quis enim cogat alium omnia transcribere, vbi duas alicunde sententias mutuatus fuerit: aut cur non liceat, si libeat, centonem hinc inde connexis aptè versibus ex aliquo authore confitere, vt ex Virgilio Proba Falconia, Capilupus, & alij fecerunt? At falsauimus mentem Caluini? in quo? Dicitur in thesi Deum Caluini nõ permittere tantum cacodæmonibus, vt *propellant hominem in peccata*, sed id etiam ijs iniungere. probatur id primum ex eo, quod Caluinus reiecta nuda permissione dicat (ex primo capite Iob ad suam blasphemiam detorto) eos nihil aggredi posse, nisi volente Deo, & authore, cuius Sathan non ideò tantum sit minister, quod inimicos ad malas cupiditates sollicitet: sed & quia efficaciter eos trahat, Deiq; mandato suis imposturis ita illaqueet, vt ratione priuati in errorem necessario trahantur, prout loquitur de æterna prædest. p. 1001. Quod hic mendacium Ieuitis pseudoprophetis (vt ais) suggestum? Iterum id confirmatur ex eo, quod Caluinus scribat de Sathana Achab decipiente: mittitur

Sathan trahit efficaciter in errorem Dei iussu.

Sathan accipit mandatum decipiendi.

cum

cum certo mandato vt sit Spiritus mendax, &, an certum dare mandatum decipiendi, nō est iniungere vt decipiat etiam te ipso teste, dum vis disertè Deum id Sathanæ præcepisse? postremo idem in thesi ostenditur ex 2. Instit. c. 4. §. 5. Vbi dum agit de Sathanæ ministerio intercedente ad reprobos instigãdos, ad id probãdum assumit *Sathanam in Samuele vocari Spiritum Domini malum.* cur autem? *quia ad eius nutum potentiamq; respondet instrumentum magis ipsius in agẽdo, quam à seipso author.* quid in hoc item delicti? an non iniungitur ministerium ministro, vel author non impellit instrumentum? Non hæc negare potes prædicans, vt qui scribas: *sanè nimis hic frigidum esset id de nuda Dei permissione interpretari, quod sacræ litteræ tam disertè à Domino profectum testantur.* Habemus igitur confitentem aduersarium ac sublatis circuitionibus subscribentem Iesuitarum sententię: quod Deus non permittat solum, sed etiam iniungat secundum Caluinum Sathanæ, vt hominem in peccatum propellat, Deinde & hoc eadem animi promptitudine & ratione concedentem, etiam Sathanam sub specie serpentis in Paradiso, non sola permissione, sed & Dei voluntate & nutu primos parentes decepisse. Vt proinde fulcrum illud ficulneum parum prædicanti possit esse adminiculo de iusta punitione quam intendat Deus, dū vult decernitq;, vt Sathan illudat homini, eumque

Deus non potuit vel-le primum Adæ peccatum vt pœnam alius peccati prioris.

in peccatum deturbet: nisi fortè ita deliret prædicans, vt opinetur primo Adæ peccato à Diabolo ingesto aliud fuisse prius, cuius sit punitio hoc quod dicitur omnium primum.

CAPVT IX.

Deum Patrem Caluinistarum iubere vt fiant, quæ facta tyrannicè puniat.

Argum. 4.

QVartum argumentum. Crudelis tyranni est hominem propter id punire, q̃ ab eo voluit absolutè fieri, quodque nõ potuit non facere. At Caluinisticus Deus punit hominem propter id quod ab æterno voluit, decreuitq; ab eo fieri, quodq; homo non potuit non facere (quis enim diuinæ voluntati decretoque resistat?) Caluinisticus igitur Deus crudelis est tyrannus. Tota hæc ratiocinatio liquida est, si minorem illustres firmesque verbis Caluini in 4. thesi positis ex 3. Inst. c. 23. §. 9. *Excusabiles peccando haberi volunt reprobi, quia euadere nequeunt peccandi necessitatem; præsertim cum ex Dei ordinatione sibi iniiciatur huiusmodi necessitas. Nos vero inde negamus ritè excusari.* Sed respondet prædicans §. 54. eo loci Caluinum agere de reprobis. At hoc vim argumenti non elidit, quia tyranni est eum nõ excusare à peccato (siue sit reprobus siue alius parũ interest) quem necessitate quadã ineuitabili ipsemet cõiecit in

Euasio prædicantis.

Cõfutatur.

in peccatum. Ergo si reprobos cõcedit in peccandi necessitatem à Deo conijci, vt non possint euadere (prout necessario debet concedere, eo quod Caluino loco cit. §. 8. *voluntas Dei sit rerum necessitas, idq; necessario futurum est, quod ille voluerit*) etiam reproborum respectu Tyrannum Deum Caluinianum faciet. Respondet 2. Etsi homo velit faciatq; quod vult Deus Caluinisticus, id tamen eum non velle eo fine & modo quo vult Deus. Sed nec hoc difficultatem subleuat propositam: tum quod finem illum modumq;, quò actum peccati fieri vult Deus, scire homo nulla prorsus ratione possit, ideoq; per ignorãtiam inuincibilẽ merito excusetur, si modum illum quem Deus tenet non seruet; tũ quod Absolon hac ratione excusatus foret à fœditate suarũ libidinũ, si nouum hoc Caluini Euangelium sciuisset, cogitassetq; se Deo volente & ordinãte incestum commissurum, nõ vt suæ satis libidini faceret, sed vt absconditę Dei voluntati impulsuiq; obsequeretur; tũ deniq; quod qui asserit Deum velle hoc vel illo modo adulterium, homicidium, blasphemiam, Deum cõcedat ea scelera velle quæ vetat & non vult in Decalogo expressè. Respondet tertio: non dicendos facere voluntatem Dei, quibus ea reuelata non est in verbo æterno, nec per suggestionem æternam. esto reipsa faciant quod vult ab æterno DEVS. Verum & ea friuola est responsio. Primo, quod in lege

2. Euasio.

Confutatur 1.

2.

3.

3. Euasio.

Confutatur 1.

naturæ dicti fuerint facere voluntatem Dei, etsi fuerit ea manifestata non per verbum Dei scriptum (quod ante Moysen nullum erat) nec per æternas suggestiones, vt quæ nullæ æternæ, sed omnes temporariæ existebant. Dilemma. Deinde peto, an voluntas illa Dei abscondita, quam Caluinistæ inducunt, sit in scripturis reuelata nec ne? Si est, ergo qui eã exequitur iã à Caluinistis reuelatã, facit voluntatẽ Dei reuelatã, & furando, scortãdo, atq; alijs modis peccando, nõ peccat, eo quod cõtra voluntatem Dei æternam reuelatam nihil committat. Sin autem reuelata non est, vtiq; etiam ipsis Caluinistis credenda recipiendaq; non est, vt quibus nihil est fide tenendum, quod in sacris litteris non sit suggestum.

Fuasio 4. Confutat. Respondet *quarto*: Ea Caluini verba in forma *obiectionis* esse posita. Sed refellit hoc effugium Caluinus in §. præcedenti. *Nunc vero*, ait, *si pro sua, & impiorum excusatione vel Pelagiani, vel Manichæi, vel Anabaptistæ, vel Epicurei necessitatem, qua ex Dei prædestinatione constringuntur, obijciant, nihil afferunt ad causam idoneum.* Idq; pergit ostendere. Refellit idem verbis in thesi citatis posterioribus, cum inquit: *Nos vero inde*, (ex prædestinatione & ordinatione ad peccandi necessitatem) *negamus ritè excusari, quandoquidem Dei ordinationi sua constat æquitas, nobis incognita.* Manet igitur adhuc inconcussum, Caluini Deum id punire in hominib. in quo voluntatẽ eius sunt secuti, quodq; necessario perficere debuerunt.

CA-

CAPVT X.

Deum Patrem Caluiniſtarum impoſsibilia ab hominibus tyrannicè exigere.

QVintũ argumentum. Nemo niſi tyrañus, quiq; leges ſuas, non atramento ſed ſanguine humano ſcribi velit, mandata conſtitutioneſq; præfigit prorſus obſeruatu impoſſibiles. Præfixit vero Deus Caluiniſticus legem homini per gratiam prorſus impoſſibilem 2. Inſt. c. 7. §. 5. quod impoſſibilem legis obſeruationem diximus, &c. vide theſin 4. & Becani diſp. de duplici iuſtitia c. 1. §. 4. vbi copioſius hanc rem examinat. His autem poſitis quid ſupereſt eſt aliud, quam vt Caluini Deus ſæuiſſimus proclametur tyrannus? Videas ad hoc argumentum prædicantem hucillucque feræ inſtar in anguſtijs deprehenſæ circumſpicere, & modo legem Dei gannire impoſſibilem homini ſuis viribus nixo, gratiaque Dei deſtituto: modo eandem concedere poſſibilem, ſed ab ordinaria Dei gratia inſtructo; nõ tamen ita perfectè poſſibilem, vt per eam coram Deo poſſit iuſtificari: tum verò vt blaſphemum ad extremum exſibilare, quod per quantamcunq; gratiam ſecundum Caluinum mandata Dei Caluiniſtici dicantur non poſſe adimpleri. De primo nihil vnquam Catho-

Argum. 5.

Effugia prædicantica 1.

2.

3.

Præcluduntur.

Ad 1.

lica dubitauit Ecclesia execrata hæresiarcham Pelagium, cui liberum arbitrium sufficiens ad perficiendam legem est visum. Secundum ad rem nostram modo non pertinet, validisque argumentorũ neruis loco citat. à Becano conuellitur. Tertium vt præsenti disputationi propositum & à prædicante duplicis mendacij insimulatum nonnihil ventilemus. In thesi est, datam legem homini secundum Caluinum, quam nec per gratiam Dei quantamcunque possit iuxta Caluinum seruare. Prædicantem vox Quantamcunq; offendit §. 57. seq; palam à Caluino diuortium facere iam nunc profitetur, si id docuisse fuerit conuictus. Cõuincamus igitur nec per gratiam Dei, nec per gratiam quantamcunque (*qualis haud dubiè maxima B. Apostolis & lectissimę matri Christi fuit data*) legem posse perfici, vt ab errore ad veritatem, à luporum caulis & latibulis ad ouilia Christi, prędicantem pertrahamus. Nec opus est vt lõgè abeamus: asscribemus locum citatum ex lib. Inst. 2. c. 7. §. 5. *Quod impossibilem legis obseruationem diximus, id est paucis verbis explicandũ simul & confirmandum. Solet enim vulgo* (Catholicis opinantibus per gratiam Christi esse legem possibilem) *absurda ima sententia videri: vt Hieronymus* (& alij Patres apud Bellar. c. 12. li. 4. de Iustific.) *non dubitârit anathema illi denunciare. Quid visum sit Hieronymo*) imo alijs omnib. veteribus) *nihil moror*. Ne vero impossibile aliter interpreteris adiungit: *Impossibile appello, quod*

Ad 2.

Ad 3.

Legem Dei Caluinisti ci nõ posse adimpleri per gratiã quantamcunq; datã vnquam puris hominibus.

quod nec fuit vnquam, & ne in posterum sit Dei ordinatione & decreto impeditur. Si ab vltima memoria repetamus, neminem sanctorum extitisse dico, qui corpore mortis circundatus ad eum dilectionis scopū pertigerit, vt ex toto corde ex tota mẽte, ex tota anima, ex tota potentia Deum amârit, neminem rursum qui non concupiscentia laborârit. Ex his tametsi falsis egregieq; à Becano confutatis, ita secundum Caluinum in gratiam prędicantis argumentamur. Illud Caluino per quantamcunque gratiam nõ potest adimpleri, quod impossibile cẽsetur, quodq; ad tẽpora vsq; Caluini adimpletũ non fuit vnquam, nec adimplebitur per gratiam, vel dandam vllis posteris, vel datam Apostolis abundantissimè ipso die Pentecostes, & inprimis carissimæ Christi Matri Virgini. At lex Dei Caluino cẽsetur impossibilis, & per gratiam hactenus datam vel dandã hominibus non fuit vnquam adimpleta. Cõstat id ex cõceptis verbis iã positis è Caluino: qui repetit idem in antidoto Concilij Trid. sess. 6. c. 12. cum infit, *mihi abundè sufficit neminem* (non matrem Christi sanctissimam, nõ organa Spiritus sancti lectissima Apostolos) *extitisse vnquam, qui legi Dei satisfecerit, nec vllũ posse inueniri.* Et vt agnoscas eum loqui de gratia instructis addit: *Prophetas & Patriarchas & pios Reges vtcunq; Dei spiritu adiuuarentur ferendo legis iugo pares non fuisse.* Rursum Deum nõ amare ex tota anima, laborare cõcupiscentia, nullũ nõ opus inquinatũ edere, est cõtra legis obseruationẽ.

Quid impossibile sit Caluino.

Caluino nullus legi Dei vnquã satisfecit, ne quidem Apostolus.

At

At Caluino impossibile est circundatum corpore mortis, siue Prophetam, siue Regem secundum cor Dei, per quantamcunq; gratiam vel amare Deum ex tota anima, vel carere concupiscentia, adeoq; impossibile est *ab homine quantumuis* (Nota bene Prædicans) *perfecto exire opus, quod non sit aliqua macula inquinatū.* 3. Inst. c. 15. §. 3. Consequitur igitur, quantamcunq; homo gratiam obtineat, siue ea sit ordinaria iustorum, siue extraordinaria Prophetarum, siue superabundans Apostolorum ac D. Virginis, adhuc legem illi remanere impossibilem, adeoq; veniendo contra legem semper peccare mortaliter, si modo verum est illud 2. Instit. c. 8. §. 58. *Qualicunq; legis transgressioni maledictionem Dei semper incūbere.* Quin iā à Caluino tuo, mi prędicans, diuortiū facis? Quin nunciū ei remittis? habes probatum è Caluini principijs, quod desiderâsti, fac nunc etiam tu, quod promisisti; iube valere Caluinum cum suo tyrannico numine.

CAPVT XI.

Deum Patrem Caluinistarum minimas lapsiunculas punire prorsus tyrannicè pœnis grauissimis.

SExtum argumentū. Tyrañum censuerunt veteres Tamberlanum Scytham, non tam quod Baiazeten Turcarum principem bello captum caueæ incluſit, & catenis vinctum canis

nis instar comedere analecta iussit, quàm quod militem qui pauxillum lactis mulierculæ suffuratus erat, trucidari mandârit, & apertis intestinis lac epotum inde extrahi. Etiam in tyrannis numerârunt Herodem, non in exteros tantum, sed & domesticos & liberos (vt porcum se potius quàm filium Herodis esse malle dictitare consueuerit Augustus Imperator) leues ob causas desæuientem eorumq; sanguine manus suas respergẽtem. Pro tyrannis habuerunt Neronem, Domitianum, Caligulam, aliaq; Imperij Romani portenta: quod leuissimas ob culpas multos honesti ordinis, prius stigmate deformatos, ad munitiones viarum, ad metalla, ad bestias condemnârint, aut bestiarum more caueis coercuerint, vel medios serris dissecuerint. Tyranni crudeles ab omni semper æuo iudicati sunt, qui pro erratis minimis pœnas definiuere grauissimas. Nihil horum non facit Caluinistarum Deus. Ille inordinatorum lactis desideriolorum vindex est sub pœna mortis æternæ; ille sermunculorũ mille noxiorum, sed vel ludicrorum & iocularium, vel inconsideratorum Rhadamante durior diriorque per æternas flammas punitor est: ille lapsiuncularum singularum ex humana fragilitate cõmissarum insatiabilis in sempiternum castigator est: ille deniq; minimorum æquè ac grauissimorum peccatorum ad æternã mortem inferorumq; tor-

Omnes lapsus humani sunt peccata mortalia Caluinistis.

tormenta deputator est: & nõ sit tyrañus? non sit etiam hoc immanior, quàm vllus vnquam extitit tyrañus, quo pœna æterna grauior est temporali? quo difficilior est cautio à peccato veniali? Sed occurrit prędicans num. 50. ex Caluino *Sanctorum delicta* (abnegatio, abiuratioque Christi à Petro, homicidia in Latrone crucifixo cum Christo, persecutio Stephani & Ecclesiæ in Saulo) *venialia esse, quia ex Dei misericordia veniam cõsequuntur.* Sed præter rem est, hæc venialis peccati nomenclatura. Scimus enim si veniale sumatur pro eo, quod veniã impetrat; ita omnia, etiam in cælum clamantia peccata, dici posse venialia in ijs qui ad Deum cõuertuntur per pœnitentiã. De leuiculis & venialibus, ex obiecto, ex surreptione, ex alijs circũstantijs agimus de quib. Bellar. li. 1. de amiss. gratię c. 9. 10. 11. ,ppter hęc æternę morti fragilẽ hominẽ iubijcere tyrañicum cẽsemus. Sed instat prędicans num. 60. *omne peccatum ex natura sua spectatũ* (apud Deum Caluinistarum) *mortem mereri æternam, & proinde non excipienda etiam minima.* Omnino hoc ipsum est qp volebã, hoc est, quod in thesi asseritur. Mortẽ igitur æternam cõmeretur non minus Saræ risus Gen. 17. mendaciolũ officiosum obstetricum Exod. 1. ociosa verbula quotidie cuilibet excidentia, quàm odium parricidiumque Cain, Gen. 4. quàm homicidium adulteriumq; Dauid 2. Reg. 11. quàm Iudæ in Christum scelus proditioq;: Et æquè sunt mortalia secundũ se sumpta

Responsio Vorstiana

Refutatur.

Quid sit ꝑprie veniale peccatũ.

Obiectio Vorstiana.

Solutio.

Verbum ocioſum æ. què est mortale peccatum Caluinistis ac parricidium.

sumpta bucellæ panis sumptio auidior largiorq́;, saltatiuncula hilarior, aspectus incautior, atq; possint esse Adami flagitiũ, quo omnes posteros perdidit, Sodomæorũ nequitia, cœlitus igne punita, obmurmuratio Core, Dathan, & Abiron. Quis propter hoc carnificem non Dicat Deum Caluinistarum? quis nõ eum crudelissimis tyrañis crudeliorem exclamet? Quod opponat: *Stipẽdium peccati mors* Rom. 6. respondebimus ei cũ veteribus omnib. interpretibus, nõ idem esse stipendium peccati, & stipendiũ omnis peccati. Prior indefinita est & vera, quia stipendium peccati mortalis & originalis mors est, posterior vniuersalis & falsa est, nec ab Apostolo intẽta, vt cui sermo sit de peccato ab vno homine ad posteros deriuato, & de onere ab adultis Romanis per baptismum deposito. Suspendium furti pœnam esse in lege nemo nescit, at nõ ob id suspendiũ omnis furti (puta teruncij vel cassæ nucis) est pœna. Sic etiam anima, quæ peccauerit (nõ quocunq; modo, id enim Ezechiel c. 18. nõ exprimit, sed quę peccauerit ad mortem, & ex contẽptu Dei, & mãdatorum eius) ipsa morietur. Quæ omnia ita esse Iacobus c. 1. à prædicãte citatus pro nobis cõtra ipsum ostẽdit. Sic enim habet. *Vnusquisq; tentatur à concupiscentia sua abstractus & illectus* (in qua tẽtatione necdũ peccatũ ab Apostolo exprimitur) *deinde cõcupiscentia cũ conceperit parit peccatũ* (attende progressum à primo

2. Obiectio prędicãtis.

Solutio.

A simili.

Obiectio 3. Soluitur.

Obiect 4. retorta cõtra prædicantem.

primo motu ad voluntariam in eo moram & complacentiam aliquam) *peccatum vero cum cõsummatum fuerit*, (deliberato consensu voluntatis approbatum) *generat* primum *mortem*. falsum igitur, quod antequam consummetur, mortem generet. At etiam antè quàm cõsummetur est peccatum, eaque causa ab Apostolo ante consummationem etiam peccatum dicitur. Datur igitur peccatum Apostolo quod mortem non generet, sicut & datur Christo aliqua animi aduersus proximum motio, quę non statuat hominem reum gehennæ ignis, etsi interim ipsum non eximat à iudicio consilióue, qui vel irascitur, vel Racha dixerit, Matth. 5. Vide Bellarm, lib. 1. de amiss. gratiæ c. 9. *Agnoscit scripturâ hanc peccati* venialis & mortalis distinctionem, agnoscit eandem omnis vetus & vera philosophia, agnoscunt illam vniuersæ respubl. quæ delicta ciuium populiq; non omnia esse digna mortis supplicio norunt, sed eorum aliqua propter leuitatem ipsorum reprehẽsione, multâ, virgis, exilio, vt sufficiente & iusta pœna plectunt. Vnicus Caluinianus Deus, & scripturæ, & Philosophiæ, & Politiæ omnis ignarus, errata omnia minima maxima æterna morte iudicat prædicante concedente dignissima. Adeo vt puniret puerum ęternis supplicijs, si quis esset mortuus, in quo non nisi vnici tantum verbi otiosi reatũ deprehenderet, vel alicuius motus

Caluinianus Deus mortuũ in culpa verbi otiosi in æternum damnat.

tus rationem præuenientis indiciũ reperiret. De hoc tamen posteriore disputat, §. 61. prædicans, & negat cupiditates omnem deliberationem antegressas esse Caluino verè malas. Sed hanc eius impudentiam Caluini verbis ad longum positis retundamus, quæ lib. 2. Instit. c. 8. §. 58. sic habent: *pupugit nos aliquod animi desiderium? iam concupiscentiæ rei tenemur, & simul cõstitui mur legis transgressores. Quia Dominus non tantum deliberare & machinari, quod sit in iacturam alterius, vetat, sed & concupiscentiæ stimulari & æstuare.* Pudet omnes intelligentes impudentis ignorantiæ, tuæ prædicans, qui loco Caluini per Iesuitas tibi digito quasi ostenso, eum vel non inspexeris, vel in eo intelligere non potueris, qd sibi velint primo (*pupugit nos*). Neq; enim, vt pungamur opus est antegressa deliberatione: deinde quid significet (*Dominus non tantum deliberare vetat*) quo deliberationem antegressam reijcit: ad extremum quid sit, quod *vetat stimulari & æstuare.* Comminiscere quicquid libet, nunquam efficies, vt hæc Caluini tui oracula aliter interpretentur Latinę linguę periti, quam primos concupiscentiæ motus, deliberationem præuenientes, quam æstum stimulosq; naturę corruptæ, quam rebellionem carnis contra legem mentis, esse illi peccata mortalia ignibus digna sempiternis.

Sentire prauas carnis Sathanæq; suggestiones est peccatũ mortale Caluino.

CAPVT XII.

Specimen mendaciorum, quæ Iesuitis tribuit prædicans, in defensis iam thesibus.

ANnotauit circa duas theses 3. & 4. iterum probè à nobis cõstitutas prædicans vndecim Iesuitica mendacia, sed planè gemella superioribus. Nam numerat, renumerat, duplicat, multiplicat perturbati sui cerebri figmenta ineptissima, quasi sint Iesuitica, vt ingentẽ accumulare possit mendaciorũ aceruũ quem in Societ. Iesu despuat. Hinc §. 39. patrem mutatũ esse à Caluino in vitricũ illi mendacium est Iesuiticũ 18. *palpabile*, vt inquit, *manibus*. Ibid. mẽdacium eorũ est 19. *Deũ Caluinisticũ ante præuisum peccatũ originale quosdã homines ad mortem sempiternam destinâsse sine vlla culpa præcognita*. §. 42. *Mendacium 20. est sententiam Caluini esse, homines nudo Dei arbitrio, citra ipsorum meritũ prædestinari ad æternã mortem*. §. 45. *Deum Caluinianum esse iniustũ in eo, quod ante præuisam culpam definiat pœnam, hominemq; deinde ad peccatum prædestinet vt in prædefinitam pœnam incidat, mendacium est 21.* §. 47. *mendacium est 22. quòd diuersa Caluini loca ad suum institutum cõiungant*. §. 50. *Deum mandare Sathanæ oppugnationem hominis* (præsertim innocentis) *ad malum culpæ mendacium est 23.* & quidem triplicatum, vt ait. §. 52. *Mendacium est 24. quod Caluini phrasin de impulsu Dei impropriam & aliquatenus incommodam*, vt loquitur, in sensum magis

Mentitur prædicans mentiri Iesuitas 1.

2.

3.

magis incommodum & ab authore alienum deflexerint. §. 53. *Mendacium est 25. homines improbos æternæ & secretæ Dei voluntati & impulsui facere satis*, & tamen adhuc peccare. §. 56. mendaciũ 26. & quidem duplex & valde luculentum est non posse Dei legem seruari per gratiam quantamcunq; secundũ Calu. §. 59. mendacium est 27. & hoc triplicatũ à Caluini Deo otiosis verbis & peccatis leuiculis constitutam pœnam mortis. §. 61. mendaciũ & horrendum maledictum est conclusio ex sex argumentis indubitatis collecta, quod Caluini Deus *sit tyrannus*, & quidem Herode aliquo & Nerone barbarior. Quid est prædicantes dementire, si hoc est eos sapere? qd ineptire si istud est graviter de rebus cũ aduersario disserere? Vides omnia explanata, probata, testata, quæ ab hoc prædicante vt mendacia carpuntur; sed quia aliud obiectis respondere nõ didicit, quã suum illud agreste & Scythicũ carmen: clamat mendacium, mendaciũ, & ex certis falsa, ex veritatib. mẽdacia metamorphosi quadã prædicantica efficit. Agnoscis credo Lector ex his Caluino prædicanticum ingenium, quod de Cretẽsi thesauro suo nihil aliud proferre potest, quã putidissima mẽdacia, quæ alijs impingat, vt plurimos habeat sibi simillimos. Sed valeat cũ suis figmentis prędicans toties ipse mentitus adhuc, quoties Iesuitis mendacium affinxit; toties hallucinatus in suis cẽsuris, quoties hallucinatos Iesuitas voluit.

Vorstius mera somniat mendacia.

De Omnipotentia Dei Caluiniani.

THESIS QVINTA.

OMNIPOTENTEM. *Corrige hoc, mutatisq; literis pauculis, vt consequentia aptè nectantur antecedentibus, fac* ORCIPOTENTEM. *Praeterquam enim quod talē esse Deum iam descriptum, est necesse; etiam apertè Deum omnipotentem nō esse Caluinus asseuerat. Non illi Deus potest, licet extremum suæ potentiæ exerat, licet sapientissimus Dei filius in cœna nouissima, contrà quam Caluino placuit, asserat, non tamen potest Christi corpus vel simul in cœlis collocare, & constituere sub specie panis ac vini in terris; vel ita infra aut supra cœlos omnes reponere in spatijs vacuis, vt non sit in loco, ac ambiatur superficie corporis continentis; vel sic præsens efficere augustissimo sacramento, vt non æquetur, quantus viro debetur, loco.* Cur non faciat Deus, (*aiunt apud Caluinum orthodoxi*, 4. Instit. ca. 17. §. 24. vt caro eadem plura, diuersaq; loca occupet, vt nullo loco contineatur, vt modo & specie careat? *Respondet autem Caluinus:* Ibid. Insane cur à Dei potentia postulas, vt carnem faciat simul esse & non esse carnem? *nimirum, vt hoc Caluino Deus efficere penitus non potest, ita nec ista. Vt exiret æterni Patris filius Christus ex vtero Virginis hunc in mūdum Virginali claustro non aperto; vt prodiret è sepulchro lapide ad viam patefaciendam non diuulso; vt intraret ad Apostolos cum fores essent clausæ ostio penetrato; denique vt cum triumphobeatas iniret sedes cœlo*

Caluinistę qui hanc potentiam cōcedunt Caluino insaniunt.

cælo non perforato, tam non potuit præstare Deus Caluino; Infra in sequentibus articulis. *quàm conderе non potest hominem, qui sit animal rationis expers.*

THESIS SEXTA.

Sed nihil hoc admirandum: siquidem Caluinianus Deus non absolutam sed dependentem ordinariamq; tantū habet potentiam; idq; solum potest, quod reipsa vult facere & facit: id autem facere nō potest, quod non decreuit facere In Cat. breui ad artic. 1. hinc illud, 3. Inst. cap. 23. §. 2. Neque commentum ingerimus absolutę potentię, quod sicuti prophanum est; ita merito detestabile nobis esse debet. *Respexit hoc Beza* contra Heshusium. *illud Gabrielis Angeli ad Christi Matrem oraculum Luc. 1. Non est impossibile apud Deum omne verbum:* nec credēdum nec vniuersaliter recipiendum constanter propugnans. *Idem post Caluinum & Bezam protestati sunt Parisiis in Colloquio Spina & Sureus* (Feuardentius lib. 1. Theomachię) *Camelum siue funem nauticum per foramen acus transire posse pernegantes, ipsamq; veritatem mentitam fuisse volentes, cum ait: Matth. 19. apud homines hoc est impossibile, apud Deum autem omnia possibilia sunt.*

THESIS SEPTIMA.

Quasi verò illi sit difficile panem in corpus; vinum in sanguinem Christi Domini commutare; cui facillimum fuit, mulierem viuentem in salis statuam; Gen.

19. *Virgam Moysis in serpẽtem*; Exod. 7. *aquas in vinum* Ioan. 2. *conuertere*; *ipsumq́ nihil in cœlum, terram, omniaq́ alia ex nihilo facta transfundere, aut quasi magis repugnet rationi, corpus vnum esse in pluribus locis; quam naturam vnam esse in tribus personis, reapse distinctis à se inuicem, sed non à natura; quàm essentiam vnam Dei sine sui multiplicatione esse totam in pluribus simul mundis si forent, & totam similiter in singulis eorum; quàm hypostasin vnam verbi diuini in duabus esse naturis perfectis dissimillimisq́, à quarum altera nihil sit re diuersum; quàm animam hominis vnam, totam esse in toto corpore, & totam simul in pluribus, adeoq́ in omnibus partibus, tanquam pluribus in locis, & nihilominus vnam in se permanere. aut denique quasi à corporea mole abiungere ne queat, vel ipsius per locum actualem extensionem, vel alterius corporis vt non sint simul duo, protrusionem; qui ab humana natura in Christo intimam humanitatis subsistentiam, ab vndis maris rubri* Exod. 14. *& Iordanis* Iosue 3. *hinc atque inde murorum instar consistentibus, innatam ad ima defluendi propensionem à securi ferrea.* 4. Reg. 6. *& à B. Petri corpore super aquas hærente & gradiente,* Matth. 14. *subsidentis grauitatis actionem; ab igne fornacis Babylonicæ* Dan. 3. *puerorum iniectorum adustionem,* Luc. 4. *à Christi corpore visibili ante & post resurrectionem* Ioan. 20. *omnem coloris ad circumstantium oculos diffusionem subtraxit, sustulitq́ Qui hæc & id genus alia potuit, quid est cur à quantitate effluentem occupationem loci cohibere auferreq́*

req; non posit? Iam CREATOREM COELI & TERRAE, reliquum est vt facias corruptorem. Sic enim iubet Caluini oraculum: voluntate Dei, quæ rerum est necessitas, cecidit Adamus, defecerunt Angeli. Lib. 3. Instit. c. 22. §. 8. 4. 6 7.

CAPVT XIII.

Caluinistarum Deum non esse omnipotentem, quod idem in diuersis locis non possit statuere.

MVlta de hoc argumento ex Catholicis Feuardentius lib. 1. Theomachiæ Caluinisticæ. idem persequitur cap. 14. de Deo Caluinistarum, Becanus; & è Lutheranis fusissimè omniũ explicat Slusselburgius, art. 3. li. 1. Theologiæ Caluinistarum. Sed operę pretium non est ea huc transferre, Theses à nobis propositas tuemur contra impudentiæ ministrum, mendaciorumq; architectũ Vorstium, & proinde satis ad rem nostram erit, si argumẽta in ijs insinuata explicemus, simulq; philosophiam prædicantis oculis omnium subijciamus, idq; breuius quam hactenus, ne tempus, chartã, atramentumq; frustra cõsumamus in mendacissimis mendacijs nullo fructu enumerandis & confutandis.

Illud aũt principio sumimus, cũ quæritur, posítne omnipotens, hoc vel illud efficere, prius Quid possit omnipotens.

prius sit dispiciendum, an hoc illudue sit eiusmodi, cui fieri non repugnet ex se & sua natura. Neque enim ad omnipotentiam facit præstare, vt tria & quatuor non sint septem, vt homo non sit animal, aut non existat rationalis ac disciplinæ capax. quia hæc & his similia fieri repugnat, eò quod manifestã inuoluunt contradictionem. Quod si enim est homo, vtiq; animal & quidem rationale sit necesse est. Sin autem animal rationale nõ est, nec etiam homo erit. Neque hæc negat prædicans §. 63. qui inde vim argumentorum perlibenter eluderet, si posset.

Argumentum impotentiæ Dei Caluini-stici.

I. Argumentum. Inferorum dominator cacodæmon nequaquam dicendus est omnipotens, sed orcipotens. at Caluinistarum Deus est cacodæmon, iuxta principia à Caluino tradita, prout iam ante ca. 3. multis probatum est. Caluinistarum igitur Deus omnipotens non est.

. Arg.

2. Argumentum. Eum nemo censuerit omnipotentem, qui multa ex ijs, quę fieri possunt, perficere nõ potest. At multa sunt ex ijs, quæ fieri non implicat, nec tamen à Deo Caluiniano queunt perfici. Ille igitur neutiquam dicendus est omnipotens.

Proba tio minores.

Huius syllogismi minorem, de qua cum aduersario cõtrouersia est, astruunt theses luculentis scripturis & argumentis. 1. Christum in cœna nouissima dedisse corpus suum & sanguinem

guinem Apostolis manducandum bibendumque, vnum est inter ea quæ fieri potuerunt, adeoq; reipsa sunt facta. Sicut & verba Christi, quibus clariora afferri non possunt, & Apostolorum traditio & Sanctorum Patrum, qui scientia, innocentia vitæ, & miraculis claruerunt consensus, & vniuersa per Europam, Asiam, Africam Ecclesia, Latini, Græci, Abissini sub Ioanne presbytero, Indi S. Thomæ, Georgiani, Maronitæ, Suriani, Mozarabes, populiq; alij ante Hispanorum in Indias veteres nauigationem, ignari Romani Pontificis semper contestati sunt, & etiamnum contra Sacramentarios testantur. quo de argumento Bellarminus li. 4. de Eucharistia. Gregorius de Valent. in Analysi & in 3. D. Thom. tom. 4. disp. 6. q. 3. Suarez tom 3. disp. 46. Maldonatus in cap. 26. Matthæi, alijq;. Iam verò vt Christi corpus vel olim in cœna datum sit Apostolis, vel etiamnum detur Christi fidelibus, Caluini Deus efficere non potest. Hinc enim pro Christi corpore vero, vmbram corporis signumq; eius, non dissimiles cani Aesopico, in suis cœnulis captant; pro pretioso Christi sanguine, dulcẽ Bacchi liquorem exsorbent; pro vero Dauide 1. Reg. 19. simulacrum eius decepto populo exhibent. Non desunt ex Caluinistis quidam minorum gentium, qui negent, Christum dare se non potuisse Apostolis, sed tantum id facere noluisse.

Caluini Deus non potest Christicorpus exhibere in Eucharistia.

Putes id velle etiam prædicantem §. 64. vbi: *Frustra*, inquit, *de potentia Dei quaritur* (quasi non aliud sit potentia, aliud voluntas, & nõ multa possit Deus, quæ tamen nõ volet vnquã) *cum de voluntate nondum constat.* Verum in sequentibus defiectit alio, conceditq; cum Antesignanis Caluinistarum, cum Beza in libro contra Selneccerum, cum Martyre cõtra Heshusium, & cũ alijs permultis à Slusselburgio citatis, Deum Caluinianũ nec potuisse, nec voluisse corpus suũ in sacramento sumendũ dare, nec esse posse pluribus in locis. Quod nihil est aliud, q̃ illã ipsam minorem propositionem proximè positã asserere. Pergunt dein theses, & rursum

2. Probatio minoris.

secũdi syllogismi principalis assumptionem docẽt hac ratione. In ijs quæ fieri possunt, est, idem corpus posse simul esse in plurib⁹ locis, simul in cælis & *in terra, in altari* & ad dexterã *Patris.* Sed nullis viribus, nulla potentia id Caluinistarũ Deus potest efficere, vt Beza, & Martyr locis cit. Simon Simonius cõtra Scecki um, Simlerus contra Iacob. Andreæ, Danæus cõtra Kemnitium, Calu. 4. Inst. c. 17. §. 24. citatus supra in thesi, vno sensu consensuque docent. Ex hoc igitur etiã capite Caluinistarum Deus aliquid non poterit facere, quod fieri nihil in se prohibeat. Quod si huius discursus arbitrum, ferre posset Caluinoprædicans Caluinistam Ioannem Casum Professorem Oxonien sem in Anglia lib. 4. Iapidis Philosoph.

2. Caluinistarum Deus non potest idem in pluribus locis ponere.

Casus Caluinista Anglus concedit idẽ posse esse in plurib. locis simul.

soph. siue 8. lib. Physic. cap. 3. vtique iam insutus in culeum concluſuſque foret. Illius siquidem confeſsione maior eſt vera, cui ſi minorem conceſsione prædicantis certam ſubieceris, quid niſi in ſaccum hominem compegeris? Sed nihil opus huius patrocinio, patrocinatur polytopiæ egregiè admodum Bellarminus lib. 3. de Euchariſtia cap. 3. Suarez tom. 3. citato. Nec ſe ipſæ deſerunt theſes, è quibus ſeptima monet, quod, ſi vt poſsibilia credantur, alia quædam quæ longè difficiliora ſunt intellectu, aut certè æquè ſublimia, quam ſit corpus idem *pluribus* eſſe locis; hoc etiam traditum à tota Eccleſia ante Caluinum, poteſt iuſtiſsime credi vt poſsibile. at vel difficiliora vel æquè difficilia ſunt, alia fidei myſteria, & inprimis incõprehenſæ Trinitatis. In hac enim plures ſunt perſonæ, reipſa à ſe inuicem diſtinctæ, vt hic loca plura realiter diuerſa. Et vt in ea vna eſt in omnibus eſſentia ſubſtantiaq; ſingularis, ita hac in polytopia vnum eſt ſingulare corpus, quod tamen non idem eſt reipſa cum locis, ſicut eſt vnum idemq; reapſe (Nota Prædicans hanc vocem, teque mentiri memento qui ſcribis §. 85. errorem Ieſuiticum quadrageſimum eſſe, quod dicant perſonas non diſtingui vllo modo ab eſſentia, quaſi reapſe ſit in prædicantica Grammatica idem quod nullo modo) eſſentia diuina cum tribus perſonis.

Idem eſſe poſſe in plurib. locis 1. Arg.

Vnica indiuidua ſubſtantia poteſt eſſe in trib. realiter diſtinctis perſonis. ergo etiam in tribus diſtinctis locis.

Seuo-

Seuoca nonnihil animum à fumis tuis prædicans, & noli meditari vt chartis tuis aliquid illinas: sed vt hoc cum ratione expedias; vtrum sit mirabilius captumq; humanum magis superet, rem aliquam vel corpus esse in tribus pluribusq; locis ab eo separabilibus accidentarijsq;, an vero rem vnicam singularem & indiuiduam, prorsus esse realiter idem cum Patre, idem cum Filio, idem cum Spiritu sancto. Et tamen Patrem & Filium & Spiritum S. non esse vnum idemq; realiter propter vnam illam quam habent, & à qua re nó discrepant, impartibilem essentiam; vel, vt essentia trina non fiat, propter tres re distinctas, & quibuscum idem est, & in quibus est, personas. Insulsum autem plane est, & non *nisi insciti ssimè* ad *illustrandum propositum*, quod ais §. 85. plures angelos etiam eandem Angelicam participare naturam, & quidem singulos totam, vt mirum non sit id fieri in diuina. Nam θὸς διὰ πασῶν & toto cælo distat ab ea re mysterium, de quo agimus. Sermo nobis est de natura diuina singulari, de natura quæ vna est absque operatione intellectus, qualis non est natura vniuersalis Angelorum, quæ à singulis abstrahitur mente, & ad singulos, vt in quibus sit, refertur. Sed instas: quia Trinitas infinita est, ideo tota vel potius eadem est in singulis personis. At, vt verum sit, quod ais, quid hoc ad argumentum? Non id petitur, cur sit in singulis

Prædicati essentia diuina singularis est in pluribus, ad eũ modum quo vniuersale logicum est in inferioribus.

gulis personis, idemq; cum illis, sed cur non sit trina, cum sit in tribus distinctis personis, prorsusq; reipsa idem cum illis, sicuti trinum vis esse corpus, eò quod sit in tribus locis.

Eodem modo forum declinas in responsione ad alteram probationem thesis. Ea erat: si Deus alium mundum conderet extra hunc & ab hoc nostro disiunctum aliquanto interuallo, Deus & in illo esset mundo simul, & in hoc nostro totus, nec tamen in illo esset spatio inter medio, vt quod sit *nihil*. At in eo casu vnus idemque simul esset in duobus vbi & spatijs disiunctis. Nihil ergo repugnat vnum aliquod ens esse, & permanere vnum, etiamsi sit in pluribus locis. Ad hæc nonnihil de immensitate & simplicitate Dei commemoras: nihil autem ad hoc, an simul in duobus illis mundis & pluribus (si faceret eos) & non in interuallo medio esset futurus, respondes.

2. Argum. Si duos mundos faceret Deus, esset in vtroq; præsens, & tamen nõ esset in interuallo medio inter eos.

Nihilo melius occurris argumento tertio ex mysterio Incarnationis, in eadẽ thesi collecto, quo vrgetur; difficilius esse vnam hypostasin esse simul in duabus naturis perfectis & dissimilibus, creata vna, & increata altera, & cum quarum vna re idem sit & differat ab altera: quam vnam aliquam substantiam corpoream, simul esse in duobus locis à quibus cæteroqui & simul abesse, & ad quos succesiue possit moueri. At vnam hypostasin esse in duabus eiusmodi naturis docet mysterium

3. Argum.

Incar-

Incarnationis Christi. Potest igitur etiam vna aliqua substantia & res in duobus locis esse, vt nihilominus maneat vna, sicut vna manet hypostasis in duabus naturis. Circa hoc & præcedens argumentum prædicans velut ad latibulum refugit ad hoc, quod hypostasis & natura Dei sit purè spiritualis & infinita, eoq; tota vel potius eadem sit in singulis personis. ita §. 85. hinc etiam τῆ λόγῳ hypostasis eadem tota illi est in diuersis naturis, ita §. 87. Sed hæc non subsistunt. Dicere enim quod τῆ λόγῳ hypostasis tota vel potius eadem sit in personis singulis, eò quod & ipsa sit prorsus immensa, & merè spiritualis, nihil est aliud, quam confundere personas diuinas, & in patre constituere totam & eandem hypostasin filij, & in filio vicissim hypostasin patris, & in vtrisque hypostasin Spiritus sancti, atq; ita ex filio patrem & ex patre filium facere. Etiam modum loquendi rodit, putatq; non rectè dici hypostasin verbi in duabus esse naturis, sed dicendum naturas esse in illa. Verum ipsius Metaphysicus in suo systemate lib. 1. quæst. 9. cap. 4. docere eum poterat hypostasin siue subsistentiam esse actum, per quem vnumquodq; suppositum subsistit. At actus concipitur vt in alio. Adde quod subsistentia addatur naturæ creatæ (& in Christo humanę) vt illi tribuat in ratione existenti vltimum cõplementum. atqui complementum

velut

velut accessorium rectè in illo cui accedit, esse dicitur. Quod si omnino propriè prędicanti loqui libebat, dicere debuisset naturas duas, non esse illâ, sed per illam. Post hæc §. 87. clamat: *quid ista ad rem? prorsus ineptum est à spiritu argumentari ad corpus.* Sed moneo, vt statum quæstionis melius alias præuideat. Hoc est, & & nõ aliud quod quæritur: vtrũ res vna possit vna manere, & tamen in locis esse plurib. disiunctis, siue quod idem est, vtrum vnitas rei intrinseca destruatur, si accidentia vnius generis, plura scil. loca in ea per potentiã Dei multiplicentur. Ex quo deinde sequitur intrinsecam corporis vnitatem non destrui per locorum accidentariam pluralitatem. Ad hoc inducitur natura diuina vna, quæ sit in trib. personis. Ad hoc refertur quarta etiam ratio ibi. in thesi 7. posita, de anima rationali quæ tota est in toto & tota in singulis partibus corporis, de qua consulo vt legat Conimbr. in 2. lib. de anima q. 1. art. 6. Toletum in 2. de anima & tantisper dum absoluerit, inscitiam suam occultet, ex qua §. 89. non secus ferè de anima hominis loquitur, ac de anima bestiæ, aitque: *est quidẽ anima tota in toto corpore, vt forma quadã impartibilis ipsum suo modo informãs: vel potius* NB. *in ipso homine vel bestia est, tanq̃ forma in suo formato; in corpore vero tanq̃ locatũ in loco.* Et post pauca: *Anima hominis, nõ est certè tota in diuersis mẽbris, nisi*

Ens nõ definit esse vnũ eo q̃ sit in multis.

4. Argum.

singu-

singula membra corpus totũ animatum esse dicamus. Heu frustra susceptilabores in te olim docendo per epistolas. Iam enim annus est & amplius multo, quod te quidam Monasterio per litteras hac de re ita allocutus sit: *Primum quæro, vtrum aliquem in hac re* (quod anima tota non sit in capite) *sequaris authorem, vel ex desperatione bonæ responsionis inueniendæ tam absona effutias. pro me pugnat vniuersus Commentatorum Latinorum, Græcorum, Arabum in 2. Aristotelis de Anima c. 2. exercitus: pro me certat pulchrè in Epistola fundamenti contra Manichæos c. 16. S. Augustin. cum ait: Deum totum esse in mundo toto, & totum in qualibet eius parte, ita vt quod hic est, sit etiam id quod illic est. Atq; inde colligit* (contra te Caluinoprædicans) *sic animam, quæ forma spiritualis est, totam esse in toto & totam in qualibet parte. Sed & hoc ex te quæro* (cui anima tota non est in diuersis membris, quiq; vis §. 85. omnem creaturam singularem multiplicari posse & in partes componentes dissolui) *estne anima hominis tibi diuisibilis vel indiuisibilis? Si prius, etiam eam corruptibilem efficies. pars enim illa, quæ in manu est, abscissa manu, vel tenues abibit in auras, euanescetq;, vel ad campos perget Elysios, alias animæ partes è corpore viuo adhuc venturas ibi præstolans, vel retrocedet in brachium, idq; cum ea animæ parte, quæ ibi ante erat, iam geminata duplicataq; informatione informabit. Sin autem indiuisibilem eam agnoscis, ergo tam tota est in toto corpore, & tota in qualibet eius parte. quod enim indiuisibile est,*

Animam hominis totam esse in qualibet parte.

est, vbicunq; est, ibi totum existit. Vectas te quo libet, non hæc euertes. hæc ibi. Idem porro hoc etiam te presit modo. *Concedisne posse Deum auellere pedes à capite, vt tamen remaneant pedes animati similiterq; caput? abduc cogitationem à naturali rerum cursu, de potentia Dei loquor transnaturali* (qua Dionysius præfectum caput in manibus ambulans ad locum sepulturę tulit, aliaq; similia facta sunt) *respondes. si non id Deus potest, ecqua huius impotentiæ causa? iam ante cum continuæ partes corporis erant, vtrobiq; erat anima tota, idq; virtute naturali, & si continuæ esse desinant vtrobiq; omnipotenti Dei verbo conseruari nõ poterit?* Quod autem inquis §. 89. nullas animæ partes esse propriè, & proinde ipsam non esse totã propriè, prout cognôrint tui tandem aliquando excitati ab aduersarijs, id præter verba nihil est. Interrogo enim te, id animæ humanæ (quomodo B. Augustꝰ. de Deo supra loquitur) vel ea entitas animæ, quæ est in capite, estne etiam in pede? si est, idem ergo in pluribus locis est, si non est, ergo ex alijs atque alijs entitatibus anima est composita eritque sectilis.

CAPVT XIV.

Caluinistarum Deum non esse omnipotentem, quod extensionem actualē per locum à corpore non possit tollere.

SEd ad theses redeamus, quæ porro probāt institutū suum hoc modo. Deus Caluinistarū non potest omni sua vi & potentia efficere vt corpus vel quantitas sit absq; loco non solum omni, sed etiam adæquato, prout cū Caluino in thesi cit. prædicans libenter concedit §. 90. at facere vt corpus vel quantitas sit absq; vel omni, vel adęquato loco, vnū est ex ijsque fieri possunt. Aliquid igitur factu possibile, nō potest fieri à Caluinistarū Deo; & proinde non est omnipotens. Huius argumentationis sumptio secunda appositis aliquot in thesi septima illustratur exemplis, quæ cū arrodat canina sua Alogia breuiter explanabimus, si tamen prius naturam quātitatis, ex qua pendet hęc disceptatio, trib. verbis enodemus, de qua pluribus Conimbric. in Cōmentarijs in Aristot. Dialect. ad ca. de Quantitate. Logica Mexicana ibid. Suarez Tom. 2. Metaph. disp. 40. sect. 4. Sed nobis hæc sufficiunt pauca. Primū, Quātitatis magnitudinisq; essentiam positam esse in quadam extensione, quę sit origo & radix aptitudinis ad occupandum locū, aliudq; corpus ab eo excludendū: quo modo essentia hominis radix est aptitudinis ad ridendū. Secundū, ex hac radice effluere naturaliter locabilita-

Quantitatis natura.

bilitatem impenetrabilitatemq; vnius quantitatis & magnitudinis cum alia magnitudine in eodē loco, quomodo risibilitas effluit ex natura hominis velut ex radice. Tertium, ex locabilitate & impenetrabilitate instar actus cuiusdam emanare actualem extensionem in loco, & extrusionem alterius corporis: quēadmodū ex risibilitate seu aptitudine ad ridendum, risus ipse actusq; ridendi proficiscitur. Ex his autem quis non videt; nullo iam negotio concludi, corpus posse esse absq; omni loco, nedum vt requirat locum adæquatum? Si enim magnitudinis quantitatísue essentia non est posita in extensione actuali per locum, sed hæc ex eius essentia iam constituta promanat, idq; mediante locabilitate, nihil est cur Deus hanc extensionem per locum non possit tollere à magnitudine. Cur enim diuina vi quod posterius est separari, & destrui non possit saluo priori? aut cur non possit Deus, postquam iam naturam suo generali influxu produxit, cessare à productione vlteriori proprietatum actuumq;? non ei liberum sit negare suum influxum in accidentia & tamen eum communicare naturę Quātitatis? alia est actio, qua fit à Deo cōcursu generali rei alicuius, puta magnitudinis, essentia & natura: alia qua eius proprietas & accidentia producuntur ab eodem vt causa vniuersali: alia qua ipsi deniq; actus proprietatis accidentiumque fiunt. Nihil vero

A Quantitate posse separari ex tensionem per locum.

est quod cogere Deum possit, vt postquam primã ediderit cogatur etiam necessario adijcere secundam, vel vbi secundam elicuerit, vt compellatur etiam tertiam superaddere, quo actu se per locum Quantitas fundat. Poterit igitur etiã magnitudo & fieri & esse absque eo, vt non fiat, vel sit eius realis actualisq; extensio per locum. Quod suo modo cernere est in rebus naturalibus. Lac etenim aliaq; similia postquam ab igne incaluerint rarescũt, seq; è loco in quo ante fuerant, minori actuq; diffundunt per maiorem totamque ollam replent. Nihil hoc in casu nouæ Quantitatis accedit, sed aptitudo replendi maiorem vel minorem locum per solam rarefactionem condensationemq; exit *in actum*. Nunc ad exempla in thesi 7. recensita veniamus; Ea ad duas classes reuocat prædicans, quarum prior continet ipsi ea miracula in quibus effectus contingens aut merè externus à causa sua naturaliter alioqui effluens suspenditur. Posterior ea, in quibus ipsæ formæ formatis à rebus, aut proprietates essentiales ab essentijs sunt separatæ, ita §. 91. Prioris generis illi sunt, serrea securis 4. Reg. 6. supernatans. Petrus *in*ambulans aquis Matth. 14. Ignis Babylonius non vrens. Dan. 3. Corpus Christi colorum ex se effusionem, Ioannis 20. ne videretur, impediens. In his multa peccat prædicans, primo, quod ait formam à rebus formatis tolli.

Miraculosæ separationes proprietatum à subiectis.

Prædicanti sine forma potest esse formatũ.

tum

cum enim forma det esse rei, fieri non potest, vt res habeat esse, vtque sit in rerum natura formatum, absit tamen ab eo forma. Secundo, vult §. 92. actiones, effectus contingentes, actus secundos & extrinsecos à rebus abesse posse, si vis superior accedat. Atq; hoc ipsum est, quod per proposita exẽpla colligere theses volumus etiam de quãtitate. Apertè enim in thesi asseritur occupationem loci actum esse secundum, & proinde posse vi diuina separari. Considera, mi Caluino prædicans, melius verba thesis, quæ sic habent: quasi Deus abiungere nequeat à corporea mole actualem ipsius per locũ extensionem, vel alterius corporis protrusionem. Si Latina intelligis, non aliud hic audis memorari, quam actualem extensionem, quam protrusionem, quæ actus quidam secundi sunt & accidentarij, vt ex lacte rarescente & se per totum locum & lebetem extendente, sine sui corruptione, aduertere poteras. Si Iesuitas euertere volebas, probãdum erat iam dicta in actibus secundis non numeranda. At quia id non facis, eorum sententiam contra te imperitè approbas. Posterioris generis facit hæc. 1. Subsistentiam humanam ab humana Christi natura ablatam. 2. aquarum rubri maris fluorem cõpressum. 3. diffusionem colorum à corpore Christi suppressam. Sed & in his errat multis modis. Primò, quod hic more suo sui immemor, nume-

Prædicans se iugulat.

1. absurdũ prædicanticũ & contradictio.

rat tertium posterioris generis, quod ante fecerat quartum prioris generis. hic velit esse proprietatem essentialem, quam ibi fecerat accidentariam vel effectum contingentem. Secundo, quod Franciscum Suarez concedat distinctionem facere inter subsistentiam & existentiam. & nihilominus dicat eodem §. 94. Suarez nolle subsistentiã ab humana Christi natura ablatam esse, eò quod asserit creatam essentiam non posse conseruari per alienam existentiam. Quæ enim, oro, hæc & qualis est consecutio? Res creata iuxta Suarez non potest conseruari sine sua existentia. ergo res creata & Christi humanitas secundum Suarez non potest esse sine sua subsistentia; quasi non distingueret inter existentiam subsistentiamque, quod tamen antè ipsemet prædicans commemorauit. Nec refert si dicat ineptè eum distinxisse; satis nobis est, Prædicantem ineptè intulisse secundum Suarez subsistentiam propriam humanitatis esse in Christo, nam hoc quæritur modo. Tertio, ait Prædicans §. 94. quod existentia est in genere entium, id subsistentia est in genere substantiarum, quasi substantiæ non spectent prædicanti ad genus entium, sed extra illud tanquam non entia reponantur. Quarto, vult humanitati Christi suam relictam esse subsistentiam, quod à vera Theologia (à qua se plurimum abesse reipsa cõfitetur) admodum alie-

Subsistentiã existentiamque differre.

alienum est. Primo, quia si suam habet subsistentiam propriam, habet etiam modum suum per se existendi sine dependentia à sustentante. At humanitas Christi non habet modum suum per se existendi sine dependentia à verbo sustentante prout clarum est: caret ergo subsistentia propria. Secundo, subsistentia creata, cum natura verè componit suppositum creatum. Erit igitur etiam humanitas Christi, cum hac sua subsistentia suppositum creatum. At suppositum non est communicabile, & proinde nec humanitas Christi erit prædicanti communicabilis, & quod inde fit verbum verè naturam humanam non assumpsit huic prædicanti. Tertio, suppositum intellectuale siue rationale, est persona, vt docet Boëtius in lib. de duab. naturis, cum ait: Persona est rationalis naturæ indiuidua substantia. At humana Christi natura, est per suam subsistentiam suppositum intellectuale. Erit igitur persona, duæque simul erunt in Christo personę, qui fuit error Nestorij, vt è multis historijs ostendit Suarez disp. 7. sect. 3. Tom. 1. in 3. D. Tho. Et Nestorianum prædicantem factum ex Caluiniano, tantum vt Achilleum euitet argumentum, quod erat: difficilius est à substantia creata tollere subsistentiam, vel modum substantiæ intimum, & quauis proprietate illi magis astrictum, quam tollere à quan-

Humanitatem Christi carere subsistentia propria

Solida ratiocinatio posse à Quãtitate separari ex passionem per locum.

à quantitate accidentariam eius per locum expansionem. At prius præstitit Deus in humanitate Christi secundum veteres recentioresq; Theologos. ergo etiã poterit posterius.

Qualis sit subsistẽtia partium integrãtium.

Poterit ergo efficere Quantitatem loco non commensuratam; Nec patrocinatur ei contra Nestorianismum, quod pes, manus aliaque membra habeant suam subsistẽtiam,& tamen non efficiant singula personam, quia eorum subsistentia incõpleta est& integrat subsistentiam personæ: at humanitas Christi, si suam habet subsistentiam, vt vult prædicans completam habet;& cum ea necessario efficit personam, quia integram cõstituit rationalis naturæ indiuiduam substantiam. qua de re vtiliter leget prædicans disp. 34. in Metaph. Suarez, quem imperitè vellicat.

5. Vt rubrum mare transitum dederit filijs Israel.

Quinto cauillatur ab vndis rubri maris consistentibus murorum instar, nõ ablatam propensionem, sed solum inhibitum actum defluendi. At in hoc primo malitiosè vocis (propensio) significationem torquet. cum enim pro inclinatione, nõ habituali, sed actuali esset posita (sicut & in cæteris quę sequuntur nominibus actionem significantibus factum) maluit arripere habitualem, vt haberet quod zoilus nouus roderet. Deinde ex prædicante scire peruelim, quomodo defluxum aquarum in mari à Deo inhibitum opinetur: an non putet, Deum cõcursum suum aquæ fluiditati negasse

Refutat. 2.

gasse tantisper, dum transiret Israel? At hoc ipso etiam circa habitualem aquæ propensionem aliquid operatus est, ei efficaciam exeundi in actum secundum negando. Rursum interrogo, quomodo velit corpora beatorum ratione terreæ molis, quam in se complectuntur, grauia, ab eorum delapsu è cælis in terram vindicare. Cælum resistere dicet? at id illi aeris instar est fluidum §. 75. ab actu suo cõtra inclinationem propriam ea suspendi contendet? Sed ita violentè in cælo detinebuntur. Circa grauitatem aliquid operari Deum concedet? hoc satis est nobis, vt propensionem nonnihil deminutam concludamus: & à pari inferamus, eum qui à corpore graui potuit semouere conatum ad descendendum & multo magis descensum, posse etiam à corpore quanto submouere propensionem ad se expandendum, & multo magis expansionem per locum. Firma igitur adhuc perstant exempla allata, confirmantq; admiranda Eucharistię mysteria prout in thesi 7. indicatum est.

Beatorum in cęlis corpora etsi grauia sint, terreaq; nõ tamen ruere deorsum.

CAPVT XV.

Deum Caluinistarum non esse omnipotentem probatur ex transsubstantiatione.

IN thesi 7. etiam probatur impotentia Dei Caluinistici hoc modo. Inter ea, quæ fieri

nihil repugnat, est transsubstantiatio, quam egregiè propugnat Bellarm. lib. 3. c. 18. & seq. ex scripturis, patribus vetustis & rationis cõuenientia, de qua etiam Suarez Tom. 4. in 3. D. Thom. Atqui Deus Caluinistarum non potest hanc transsubstantiationem efficere, vt cum omnibus Caluinistis magnificè admodum iactitat §. 82. Prædicans. Caluinisticus igitur Deus aliquid non potest facere, ratione cuius non sit omnipotens. Concedit quidem meus prędicans §. 81. cõuictus exemplis in thesi positis de aqua in vinum, muliere in statuam, virga Moysis in serpentem mutata, posse fieri trãsubstantiationem in genere sumptam, sed Papisticam siue ab Apostolis traditam & omnibus sæculis à maioribus nostris receptam, vt *posibilem superbus filius* non agnoscit.

Transsubstantiationem dari. Quo argumento? quia contradictio est, ait, posse aliquid transmutari in aliud ens iam verè præexistens. Credas prædicantem nihil vnquam comedere. alioqui enim panem & vinum agnosceret transmutari in suam carnem & sanguinem, siue in corpus suum iam ab annis quadraginta præexistens, fateretur*que* Caluinianum ventrem potentiorem esse Deo Caluinistico.

Obiectio. At produci non potest id quod iam reuera est.

Solut. 1. Respondet Bellarm. lib. 3. c. 18. & 24. Ex pane corpus Christi efficere, nõ est producere ipsum corpus Christi, sed in Christi corpus præexistẽs panis sub-

Panis substantia in Christi corpus transmutatur.

stan-

stantiam commutare. Nec transsubstantiationem esse generationem Philosophis decantatam, sed supernaturalem quandam mutationem, qua Corpus Christi quod antè solum erat in cælo iam etiam sit præsens sub speciebus panis in terris. Quales supernaturales trãsmutationes ignotæ physicis, aliæ dantur plures. Talis est mundi creatio, vxoris Loth in statuam conuersio & his persimiles. Nec propterea deserit cœlum, sed extendit se ad alium locum, vt vtrobiq; sit præsens. Sic anima quæ prius est, tantum in corpusculo bipedali iam infantis, post extendit se ad corpus septempedale, cum infans factus fuerit adolescens & vir, ac nihilominus manet vbi fuerat prius. Nec obest quod Christus à pane abest toto cælo secundum humanitatem, quia vbique est (& proinde cum pane etiam) secũdum diuinitatem, quæ destructæ panis substantiæ vbilibet nullo negotio substituit carnem. Quanquam etiam faciamus corpus Christi quod est in cælis, omnipotenti eius nutu reproduci sub specie panis in templis. quid tum? adeone id absurdum? an qui potest, si Petrum destruat Romæ, iterum producere eundem numero Parisijs, vt ex mysterio resurrectionis doceri solet, non poterit eum producere Parisijs, si saluũ relinquat Romanis? vnde hęc repugnantia? Diminuitúrne potentia Dei per imbecillas vires Petri, vt omni sua vi eũ Parisijs pro-

2. Solutio. idem posse bis & sæpius reproduci

Ratio ex resurrectiõe. Petrus annihilatus idẽ numero potest reproduci ergo etiã poterit reproduci si nõ annihiletur.

producere nequeant, si Romæ adhuc incorruptus viuat? aut adfertne Deo adiumenti aliquid ad Petrum producẽdum Parisijs, quod Petrus Romæ sit destructus? Quæ hæc vis vt Petrus mortuus, & destructus Deum iuuet ad eandem materiam formamq; sui corporis reproducendam? iuuare eum vero non possit vt reproducatur, sed impediat, si viuus & saluus sit?

Obiectio. Sed instat, quod est, non potest fieri, eo quod via ad metam non sit ipsa meta, nec motus sit res facta motu, nec prius sit posterius, item quod hic & nunc existit, alibi nõ potest

Solutio. produci nisi destruatur. At meræ voces ista sunt sine probatione, multo iam tempore desiderata. *Nam quod est etsi fieri non* potest absolutè, quasi non sit in rerum natura, potest

Vt fieri possit, quod est iam nunc. tamen fieri secundum quid, quatenus in loco, in quo non erat, incipit esse & per replicationem reproductionem q; sæpius in rerum natura constituitur. Sic Christi corpus accũbens mensæ erat in terris simpliciter, at sub Eucharistico cibo, quem distribuebat Apostolis,

Productio prior est p. ducto & reproductio prior est reproducto, qua reproductum est. prius esse incipit postquam omnipotenti verborum suorum efficacia, illud ibi constituit. prior ergo est via motusq;, siue prima Corporis Christi ex virgine productio sua meta & termino producto, & prior est reproductio corpore Christi sub specie panis reproducto, estq; seipso prius & posterius, sed sub diuersa

fit

fit ratione. At hoc nihil est noui in Aristotelica Logica, quicquid sit in Alogia Caluinoprædicantica. Facit ad institutum prædicanti meo alias propositus hac in materia casus iste. Accidit apud Cannibales, vt puerulus ab Anthropophago deuoraretur, caroq; illius tota in substantiã huius verteretur per nutritionẽ, ita vt quæ materialis pars ante fuerat pueruli, ea sit facta pars substantialis viri : in resurrectione vtri horum hæc materia restituetur? si viro, resurget sine carne osseus puer, & non in carne sua videbit Deum : sin autem puero detur iam parte aliqua substantiali vir carebit, eritque mutila eius resurrectio. Quod si hic idem fieri bis posse dixerimus, vtriq; facilè, quod eorum est tribuemus, similesque casus nullo negotio dissoluerimus.

Anthropophagorum duorũ eadem numero caro est quandoq;.

CAPVT XVI.

Caluinistarum Deum non esse omnipotentem probatur ex impotentia efficiendi penetrationem corporum.

RVrsum septimo dicta impotentia probatur ex alijs tribus fidei mysterijs hac ratione. Ex possibilibus & nullam in se cõtradictionem inuoluentibus, sunt; Christum egressum ex vtero virginis, virginali claustro non aperto; exijsse è sepulchro, lapide non dimoto;

Penetratio corporis Christi cum alijs.

moto; adijsse ad Apostolos ianuis non apertis; subijsse cælos sine eorum ruptura vel scissura. Horum tamen, ne vel vnum quidem Caluinianus Deus potest efficere: vt cui omnia dicta sint æquè difficilia factu & ἀδύνατα atque si hominem deberet fingere, qui esset animal rationis expers. Non dico priora illa Caluino æquè includere cõtradictionem, sed hoc tãtum æquè impossibilia factu esse secundum Caluinum. Respondet ad hæc prædicans §. 70. iã recensita includere contradictionem; cuius rationem affert, quod dum in his exemplis statuitur à nobis penetratio corporum solidorum mutua absq; cessione; etiam consequenter per nos asseratur *corpus* alicubi verè adesse, & tamen *in* loco non esse, siue omnino esse illocale; aut esse saltem in loco nõ adæquato, hoc est, esse incorporeum. Sed in his quis stuporem hominis non miretur? ait à nobis constitui duo corpora in eodem loco se penetrantia. ergo cõsequenter ipsius etiam cõfessione ambo nobis ponuntur in loco, veroq; secundum Iesuitas loco cõmensurantur. Quid igitur, ait, asseri cõsequenter, ea in loco nõ esse, esséue illocalia? Potestne corpus à corpore penetrari in adæquato loco, & dici nihilominus in eodem loco cum ipso non esse? quæ hæc insciti a? Si vnũ penetrat alterũ in eodẽ loco, vtiq; necessario est cũ altero in loco nõ minus quam anima hominis corpus pene-

trans

Calumniæ reiectio.

Penetratio corporum includit prædicanti contradictionem.

trans, cũ illo est in toto corporis loco. Hanc penetrationẽ diuina vi impossibilem esse prędicanti docẽdum erat, ostendendumq́; impenetrabilitatem (vt loquũtur) actualem, siue facultatem conatumq́; excludendi aliud corpus è loco suo non posse potentia Dei separari à Quantitate, & ex ea non fluere naturaliter, instar actus eius secundi & ipsa posterioris. Sed hic mutus est magis quam piscis. Decurrit deinde ad singula, ad primum cum suo infortunato Crellio, ait egressum esse Christum ex aluo virginis virginali claustro aperto. Hoc ad artic. 3. disputatur in apodixi 3. ca. 4. quem ad locum sua prudẽtius reseruasset prędicans: Sed maluit præcipiti calori Caluiniano indulgere & ordinem omnem inuertere. Ad secundum de resurrectione Christi ait Angelum Domini lapidem reuoluisse, Christumque tum demum sine penetratione lapidis egressum esse, quo modo crassus Lutheri Prætor rubras indutus caligas (vt loquitur Zwvinglius Tom. 2. in respons. ad Lutherum lib. de Sacram.) exire potuisset. Sed in eo primum deflectit ab eo, quem defendendum suscepit, Caluino, qui in cap. 28. Matth. apud Feuardent. lib. 6. Theomach. Caluinist. vult, Angelum non aperuisse tumulum, vt Christus exiret, cum illa eadem virtute & potentia, qua resurrexit etiam exire potuerit tumulo clauso firmoque manente.

De penetratione corporis Christi per lapidem sepulchralem.

1. Argum. è Caluinistis.

Sed

Sed reuoluit lapidem, vt mulieribus pariter & Apostolis ostenderet, corpus non esse amplius in eo, sed verè resurrexisse & ante lapidis reuolutionem inde exiuisse. Deflectit à suo Beza in creophagia; Ita esto, respondente ad argumentum Heshusij vrgentis Christum egressum è sepulchro clauso: 2. contradicit omnibus in eo Patribus antiquioribus. Iustino q. 117. ad Gentes scribenti: *Quemadmodum nõ mutatione corporis in spiritum Dominus super mare ambulauit, verum diuina sua potentia mare, quod pedibus calcare nequiret ad ambulandum commodum reddidit, ita & suapte potentia è monumento, cui lapis impositus fuit, egressus est, & ad discipulos ianua clausa ingressus. Non enim excitationis eius gratia saxi ipsius de monumento facta est reuolutio, sed eorum causa qui id erant conspecturi vt ipsis resurrectio ostenderetur.* Gregorio Nazianz. in Tragœd. Christus patiens: Chrysostomo hom. 90 in Matth. & Tom. 3. homil. de Ioanne Baptista: Theophylacto in 28. Matth. Euthymio cap. 68. in Matth. Bedæ homil. in vigilia Paschæ: Bernardo serm. 1. de resurrect. Augustin. serm. 138. cuius verba sunt: *Quo modo de sepulchro (clauso) exire non posset, qui ex incorruptis matris visceribus salua virginitate processit* (Hieronymo Epist. 150. ad Hedibiam. q. 6. dicenti. *Non putemus angelum idcirco venisse, vt aperiret sepulchrum Domino resurgenti, & reuolueret lapidem: sed postquam Dominus resurrexit, hora qua ipse voluit, & quæ nulli mortа-*

2. Argum. è Patribus.

mortalium cognita est, indicasse, quod factum est. Citat quidem Hilarium prædicans, quod velit Angelum Christo ministeria parasse, sed ea ministeria nihil ad resurrectionem Christum iuuerunt, solis mulierculis & monumentum inspecturis ad Christi gloriam profuerunt.

3. Argum: ex Euangeliſtis.

3. abit in eo ab Euãgeliſtarum ſententia. Nam nihil tale eorum quiſquam aſſerit de Chriſto, quaſi ipſi vel reuolutione lapidis ad egrediendum fuerit opus, vel ad reuolutionem angelus Chriſto fuerit neceſſarius. Tantum ait Matth. 28. quod cum venirent mulieres, *Ecce terræ motus factus est magnus.* Quo fine? vt motu eo dimoueretur lapis & exiret Chriſtus! nil tale. Sequitur namq;: *Angelus enim Domini descẽdit de cælo & accedens reuoluit lapidem.* Vtique propter eas quæ dixerant. Marci 16. *Quis reuoluet nobis lapidem, &c.* 4. Ad ſomnia latibulaq; ignorantiæ decurrit. Quid ni enim ſomnium latibulumque ignorantiæ dixerim, cogitare dubiè, Chriſtum, vel ſubito corpus ſuum liquefeciſſe, vel in Spiritum commutaſſe vel in aliud corpus vertiſſe, & deinde priorem ei naturam reſtituiſſe? aut ſomnium non ſit capitis pertinaciter veritati obluctantis, affirmare, citra ſcripturam, extra Patres, præter rationem neceſſariam, vel lapidem colliquatum & mox reſolidatum, vel amotum vi diuina, & illico repoſitum, vel aëris inſtar ceſſiſſe, & confeſtim iterum induratum? quin vnũ aliquod

4. Argum. ex Vorſtij incertitudine & perplexitate.

ex his, quando omnia facta nõ sunt eligis? cur non quod probabilius arbitrare per testes rationesque demonstras? Nouimus multa fieri posse, & quidem prædicantes in belluas Deo difficile non esse mutare : Non tamen propterea veras belluas esse cõclamamus, nec credimus quia fieri isthæc potuerunt, ideo etiam iam nunc facta.

De penetratione Christi per ianuas clausas.

Ad tertium, de Christi ingressu per ianuas clausas eodem ineptit modo, placet illi §. 74. intrasse Christum clausis ianuis idem esse (Nota lector prædicantica synonyma) quod non apertis per eos, qui erant intus; & quia vento hac ratione aperiri potuisse quispiam facilè obiecisset, addit, siue id per angelum aliquem sit factum, ita vt *nemo discipulorum* sentiret, siue *potius* diuina virtute. quin etiam subdit ianuam miraculosè fortè mutatam; puta liquefactam, aut rarefactam, aut prorsus amotam, & mox restitutam, imo etiam eadem virtute corporis sui naturam ad momentum immutare potuisse. Supererat, vt vel per fenestram vel infumibulum, vel rimam aut impluuium etiam illapsum esse Christum in domum ianuis adhuc clausis cum suis symmistis diceret: sed priora maluit, vt paulò sonantiora & magis prędicabilia. At quid attinet dicere, multis aliquid fieri modis quiuisse, vbi quæritur, quonam sit modo factum? vbi scriptura eiusq; interpretes ab ortu Ecclesiæ Catho-

Deliria Caluinoprędicantica de ianuis clausis,

tholicæ agnoscunt nullo eorum modorũ esse perfectum? Ait scriptum, clausis ianuis ingressum esse Christum, at non per ianuas clausas, quomodo alibi dicitur ipsis loquẽtibus venisse. At in eo pugnat secum. Nã si cessassent loqui ipso veniente, falsum fuisset dicere, ipsis loquentibus eum venisse. Falsum igitur etiam erit secundum prædicãtem Christum ingressum esse ianuis clausis, si eo tempore vel quo ingressus est, desierint esse clausæ, reseratæq; sint vel per Angelum vel alio quolibet modo. Parũ enim refert à quo aperiatur ianua; si modo pateat cũ Christus ingreditur, falsum est eum intrare dum fores essent clausę, siue ianuis clausis. Deinde quid in eo mirandum si quis rusticus per apertum ab angelo ostium ingrediatur? quid magnũ si nemine intus aperiente, attracto per funem pessulo aperiat quis fores & intret tacite? Præterea vt ad angelos virtutẽmue diuinam cõfugiunt Caluinisequę, cur ita non eadem ratione ad clauem aliquam secretam, qua Christus fingatur vsus, alius abeat? quo eũ argumento reuincẽt, qui dixerit Christum hoc potius modo quam Angelorũ opera latenter arrepsisse! Nihil quidem de hoc in sacris est literis, sed nec vel vnũ iota etiam in ijs exististit de nouis illis figmentis, ad penetrationem corporum cõtra veterum omnium sententiam pertinaciter explodendam, excogitatis. Audiamus enim Ecclesiæ luminaria

Resp. prædicantis.

Refell. 1. sua ipsius similitudine.

Sanctissimos veteres Doctores: in quibus primum locum teneat Augustinus tract. 121. in Ioannem. *Moli corporis Christi vbi diuinitas erat, ostia clausa non obstiterunt: ille quippe foribus non apertis intrare potuit, quo nascente virginitas Matris inuiolata permansit.* Et Epist. 3. ad Volusianum. *Ipsa virtus diuina per inuiolatæ Matris virgineæ viscera membra infantis eduxit, quæ postea per Clausa ostia membra iuuenis introduxit.* Et subiungit: *Hic si ratio quæritur, non erit mirabile, si exemplum poscitur non erit singulare. Demus Deum aliquid posse, quod nos fateamur inuestigare non posse. In talibus rebus tota ratio facti est potentia facientis.* Audi D. Ambrosium li. 10. in Luc. c. 24. *Habuit inquit admirandi causam Thomas, cum videret clausis omnib. per inuia septa corporibus, inoffensa cōpage corpus insertum.* Et ideo mirū quomodo se natura corporea *per impenetrabile corpus infuderit, inuisibili aditu, visibili conspectu, tangi facilis, difficilis æstimari.* Audi etiam Chrysostomum hom. 85. in Ioan. *Mirandum*, inquit, *est, quod discipuli phantasma eum esse non sunt suspicati. Clausis enim ianuis & repente est ingressus.* Et hom. 2. de Symbolo. *Quomodo*, inquit, *introiuit Christus ianuis clausis ad discipulos suos? Super mare ambulauit? Imperauit ventis, & facta est tranquillitas magna? Quia ergo ista super nos sunt & rationem de talibus miraculis reddere non valemus, fide tenemus.* Audi D. Gregorium Nazianz. in Tragœdia de Chri-

Christo patiente. *Stat ecce Dominus has fores intra; Nouum hoc dignumq; vero maximo miraculo.* Audi (ne omnes commemorem) D. Cyrillum lib. 12. in Ioannem ca. 53. *Clausis, inquit, foribus repente Dominus natura rerum superata ingressus ad discipulos est. Nullus igitur quærat, quomodo clausis ianuis Corpus Domini penetrauit, cum intelligat non de homine nudo, quales nos sumus, sed de omnipotenti Dei Filio hæc ab Euangelista conscribi.* Pudeat igitur etiam atq; etiam Prædicantem tanta libertate in his eludendis mysterijs occupari, quæ maiores nostri nunquam satis potuerunt admirari.

Ad quartum crassæ cuiusdam inscitiæ homo omnis syncerioris philosophiæ & scientiarum solidarum imperitissimus, Iesuitas redarguit, qui nesciant cœlos aëris instar sua raritate tenuitateq; naturali ascensuro Christo cessisse, de quo paulo post.

CAPVT XVII.

Caluinistarum Deum non esse omnipotentem, quod absoluta careat potentia.

INter alia argumenta impotentiæ Dei Caluinistici in 6. thesi hoc est: Omnipotens dici nō meretur, qui absolutam independentemq; in agendo non habet potentiam, ita vt pro suo nutu quodcunq; voluerit disponere

agereque posit. At huiusmodi potentiam non habet Deus Caluinianus etiam ipsorum Caluinistarum aperta confessione. Non igitur Caluinistarum Deus est omnipotens. Assumptio è Caluino alijsque probata est 1. ex 3. Inst. c. 23. §. 2. *Neq; tamen ingerimus commentum absolutæ potentiæ, &c.* Sed occurrit Prædicans primũ, Caluino Deum plura posse quam velit reipsa. At enim in eo more suo aduersatur nõ obscuris Caluini elogijs: ait enim 1. Inst. c. 17. §. 2. *Quod voluntas Dei sit vnica iustitiæ regula & iustissima causa rerum omnium. Non illa quidem absoluta voluntas, de qua garriunt Sophistæ impio profanoq; dißidio separantes eius iustitiã à potentia, sed illa moderatrix rerum omniũ prouidentia.* Quibus verbis vt manifestè cauillatur absolutam in Deo voluntatem, ita eandem iustitiæ regulã causámue rerum esse posse inficiatur, vt proinde reipsa plura nõ possit voluntate absoluta, quam rerum moderatrix prouidentia, ordinariaque dictet. Deinde li. 3. Inst. c. 7. §. 5. B. Augustinum carpens, quod fateretur posse quidem Dominum, si vellet, hominem mortalem in angelicam puritatem euehere, sed tamen neq; id fecisse vnquam, nec facturũ, qp aliter in scripturis asseruisset, in hęc tandẽ verba erumpit: *ideo cauillis non esse obnoxiam sententiã, si quis dicat fieri non posse, quod non futurum scriptura pronunciat.* Quod idem est, ac si dicas in Deo nõ esse absolutam potentiã, qua aliter rem quampiam facere possit, quam ab æterno semel facere constituit,

Resp. prædicantis.

Refellit. 1.

stituit, vel se facturum manifestauit. Quid igitur? miser Caluinianus Deus absoluta potẽtia sua nõ potest vel ex lapidibus suscitare filios Abrahæ (de quib. Matth. 3.) vel duodecim legiones angelorum submittere Christo (de quibus Matth. 26.) quia neutrum ab æterno facere cõstituit, fieriq; nõ potest, quod facere non decreuit. quib. etiam prædicantem cõfundas §. 63. non in Latino sed Germanico aucto plus satis dicta duo exempla pro Caluino vsurpare conantem. Subiungit deinde secundã solutionẽ, Caluinum in Catechismo breui, ad art. 1. & 3. Inst. c 23. §. 2. absolutam Dei potentiam non agnoscere in negotio prouidentiæ & prædestinationis. Sed adeóne hebes est, prædicãs, vt nec dum sciat ad cõfirmandas quæstiones particulares, argumenta propositioneq; assumi à genere atq; vniuersales? Esto, agat inibi de prædestinatione singulatim, quid tamen id prohibet, ad probandũ adferri enunciatũ generale? Nónne clare ait. *Non ingerimus cõmentum absolutæ potentiæ, quod sicut profanum est; ita merito detestabile nobis esse debet?* Nóne apertè scribit in Cõment in c. 23 Isaiæ: *Istud somnium de potestate absolutæ in Deo, quam Scholastici introduxerunt est execranda blasphemia?* Eadem assumptio corroborata est ex Beza negante vniuersaliter verum esse illud Angeli: Non est impossibile apud Deum omne verbum. Respondet Prædicans: Verum non esse angeli dictum secundum Bezam in ijs quæ con-

Caluino non potest Deus ex lapidibus suscitare filios Abrahę.

Responsio prædicantis secunda

Apud Deũ Caluinian. aliquod verbum est impossibile.

contradictionem includunt. Sed falsum prædicat Prædicans. Beza enim id intelligit, de ijs quæ factu impossibilia non sunt, qualia de Quantitate & eius affectionibus contra Caluinistarum deliria sunt explanata.

Vltima probatio fuit à Spina & Sureo ministris Caluinianis sumta, quibus Parisijs in colloquio teste Feuardentio, Deus efficere nulla vi potuit, vt Camelus vel funis nauticus per foramen acus trãsiret. Ad hanc respondet §. 79. Feuardentium testem esse planè mendacem. At vnde hoc illi cõstat? ex authore quopiam? non. Sed ex patre mẽdaciorum, qui docuit mentiri prædicantes. Ipsimet enim ministri citati, suo in publico scripto post colloquium edito *testati sunt verum* Feuardentij *fuisse testimonium*. Post hęc cõcionatus nonnulla de diuinæ potentiæ obiecto, vt verbi Ministrum vbiq; agnoscas, ait §. 80. falsum esse Christum affirmare Matth. 19. Camelum per foramen acus transire posse. Sed multis hanc ad rem nihil est opus. ait Christus facilius esse camelum transire per foramen acus, quam diuitem intrare in regnum cælorum: at potest dives intrare in regnum cælorum, vt Abrahamo, Isaaco, Iacobo, Dauidi, alijsq; accidisse nouimus, poterit ergo etiam camelus, quod est facilius, transire per foramen acus. Cognouerunt hoc vetusti patres, Origenes, Hieronymus, Hilarius, Chrysost. in Matth.

Vorstiusab ijs pro quibus pugnat iugulatur.

Camelum posse trãsire per foramen acus

Am-

Ambros. in Lucam, Augustin. in lib. 2. Euangel. quæst. q. 47. Quid? quod ipse prædicãs sibi cõtrarius ibidem id cõcedat? subijcit enim: *Comparatione quadam ficta hic vtitur Christus, eiusq; adminiculo rem impossibilem* (diuitis in cælum introitum) *per aliam planè similem* (transitum cameli per foramen acus) *sed iudicio nostro minus possibilem illustrare instituit.* Si æquè impossibilis est transitus cameli per acum, atq; est locupletis in cælum ingressus, ergo vel neutrum vllo fieri modo poterit, vel si alterum fieri potest, poterit etiam alterum, vtpote prædicãti plane simile. At dives permanens dives prædicanti potest Deo opitulante per gratiã introire in regnum cælorum. Poterit igitur etiam camelus, permanens camelus & absq; ipsius in particulas sectione transire per foramen, & non hominis modo, sed & Cameli grande vastumq; corpus quibit esse non tantum in spatio hostiæ, sed etiam aciculæ. At opponit prædicans, posse camelum per acum traiici, si hæc præter naturã dilatetur, vel elephas in aliam formam mutetur. Verum id, si fiat, non erit miraculũ in transeundo, in quo id agnoscunt veteres, sed in Camelo transmutando vel foramine ampliando. Deinde qui minimum ferri, quod foramen acus circumplectitur, ita dilatare potest, vt per spatium millecuplo maius loco suo naturali, & quod camelo sit permeabile, se fundat, cur nõ is etiam vel ferrum

Prædicans iugulatur ex sua responsione:

Camelus grandis in acus foramine potest esse.

Subterfugium prædicantis.

Refell. 1.

2.

rum vel corpus aliud grandius in locum millecuplo minorē destituere posit? cur nō hominem sub hostia occultare queat? Hactenus argumenta à calumnijs Caluinisticis vendicauimus, modo philosophiam eius audiamus.

CAPVT XVIII.

Philosophia Caluino prædicantica.

MIrificè in sua sibi noster hic Suffenus Caluinianus Philosophia placet. Hinc enim §. 75. Iesuitas elato supercilio, velut crassa quadam inscitia circa naturā cælorum circumseptos despicit, & §. 66. non leuiter eos errare in assignanda generali natura loci cōtendit, ijsdem alijs alibi *modis insultat. Excutiamus igitur nonnihil* huius mustei Sophi doctrinam admirabilem. Primo inquit Iesuitis loci in genere sumti definitionem esse; ꝙ sit superficies corporis continentis. Atqui luculentum id est mēdacium. Nam Iesuitæ locum in cōmuni sumptum distribuunt in locum extrinsecū, quem Aristoteles definierit, superficiem corporis cōtinentis; & intrinsecum, qui sit ipsum vbi. Ita Toletus 4. Physicorum. qu. 8. Suarez in Metaph. disp. 51. sect. 2. Conimbricenses ad cap. 4. in Anteprædicamentis q. 1. artic. 3. ad 1. ita scribunt: dicta intelligantur de loco Physico & Extrinseco, superficie scilicet, corpus ambiēte. Nam locus intrinsecus,

Quid sit locus latissimè sumpt' docetur prædicans.

seu

seu vbi, cum sit modus corporis, in loco constituti, omnes conditiones accidentis propriè dicti participat. Logica Mexicana ad Prædicamentum vbi, ipsum vbi definit, vt sit præsentia realis quam habet res in loco Extrinseco, vel in spatio loci. Nõ poterat clarius suam prodere inscitiam Prædicãs, quam facit, dum etiam philosophiæ Candidatis in scholis Iesuitarum exibilandam propinat. Post hæc subnectit Prædicans, suæ sapientiæ mysteria, & inquit ibid. §. 66. Spatium vacuum & locum in genere sumptũ reuera æquipollere. sanè ad priora valdè appositè, vt falsum falso aßituatur & vibia varam sequatur. Paucula tantum hoc circa mysterium prædicãticum quæram, respondeat doctißimus Prædicans noßter.

Locũ non esse idem q vacuum.

1. Vacuum illud spatium (quod illi locus dicitur) estne quid creatum vel increatũ? si posterius, ergo iam præter creatorem omnium Deum, est aliquid increatum. Sin autem prius, ergo vacuum spatium non fuit aliquando, sed est productum. At quando hoc? cum mundum Deus, & omnia ex nihilo conderet? verum iam tum erat spatium vacuum, in quo mundum locaret, & idem permanebit in omnẽ æternitatẽ, etiamsi mundũ rursus destruat.

2. Estne spatium istud Caluinisticũ substantia vel accidens? & si quidem substantia est, reponetúrne inter corporatas, atq; ex materia quãta & forma coagmẽtatas; an vero inter corporis ex-

expertes spiritus bonos vel malos? quid horum eligit scientissimus noster prædicans? quid hæret? accidens esse non potest, tũ quod accidentis esse naturaliter sit ineſſe, hoc vero spaciũ non insit cuipiam, sed fuerit ante mundum, & omnia creata, tũ quod neq; sit Quantitas, neq; Qualitas, neq; aliquid cæterorum inhærentium. Aut igitur nihil sit oportet, vel ad substantiam spectabit incorpoream, ne si corporea sit penetret se cum verbi Ministro non absq; ipsius cordolio. Sed enim audito, nihil, respirare sibi visus est prædicans, cogitareq; incepit, suum vacuum spatiũ & locum, esse nihil. pulchrè. Cum igitur domi, vel in templo, vel agro, vel alio loco est prædicans, est in nihilo: cum in Germania magnis contendit itineribus, vt tempestiuè locum ibi occupet, contendit *ad nihil*: cum primos quærit accubitus inter suos Consistoriantes, quærit nihil: vno verbo, motus omnis localis Prædicanti, acquirit nihil: *nihil* omnis lationis illi, est terminus realis: nihil ipsi dat speciem distinctionemq; positiuam. Si hoc est philosophari, nemo dicetur delirare.

Cælũ fluidũ est Caluinopredicanti.

Ad cælos veniamus prædicanticos, quorum crassa, vt ait, ignorantia laborârunt Iesuitæ hactenus. Hi, vt prædicanti pro sua subtilitate siue tenuitate cedere aptissimi sunt, §. 75. ita transitum præbent eidem facillimè: non secus atq; in aere nostro isto (qui & ipsi pars cæli

cæli dicitur) quotidie experimur. Sed quo minus assentiamur huic Vorstianæ philosophiæ obstant permulta. Primo nãq; more tuo quid velis, frigidè satis & tenuiter admodum explicas. dein nec profanum nec sacrum authorem, quem hac in re sequaris annotas, ipse tibi cœcus cæco factus dux & author: cum tamen contra te & authoritate & argumentis pugnet Aristoteles lib. 1. de cælo c. 2. cum numeroso suorũ interpretũ exercitu. 3. Explicare nõ potes allatis causis cuius sint naturę cæli tui, an aëreę, igneæ, aqueę, terreæ vel mistę: an graues vel leues, corruptibiles, vel incorruptibiles, octo vel 12 sint: an moueantur pluribus simul lationibus vel quiescant, stellis piscium instar in ijs ludentibus natantibusque. 4. æquè parum expedire potes, quomodo in fluido isto tuo cælo, vel petulcæ suculæ aliquando nõ à se inuicem paululum disiungantur, vel Casiopeæ pedes non quandoq; diuaricentur, vel equi septentrionalium plaustrorum non interdum exspatientur, vel aliæ ab alijs stellæ longius interdum non dimoueantur, aut ad eas propius celeriusque succedant à suis celerius impulsæ aurigis. 5. volumus & hoc nosse, cur in hoc raro subtiliq; cælo Caluinoprædicantico hiatus illi atræq; foueæ ad antarcticum serenis noctibus sint conspicuæ? vnde blandulum lumen via lactea diffusum, quod ad obtutũ nostrũ reuerberatur! Etiãne

Refellitur 1.

intra

intra cœlica Sacramentariorum corpora nubeculæ, vapores, densioresq; plagæ immobiles reperiuntur? 6. Accedit sol ad terram propius, ab eaq; recedit, cum vel in auge vel augis oppositò existit; decurrit idem tardius per sex signa borealia quam australia, nec vel latum ab eclyptica euariat vnguem: abest sæpiculè in auge lõgius à terra Mercurius cũ alijs quinque planetis. Etiãne remoræ alicubi in fluidi cæli tui spatio occursant, & epicycli eccentricique euanidi & fluxiles inibi memorantur? Similia sunt apud Astronomos phænomena, prædicans, accinge sicut vir lumbos tuos, si cum molliculo tuo & butyraceo cælo omnia probè dissolueris, in corui locũ inter cõstellationes à *Mathematicis extolleris*. Caue tamen ne Eliud, nec à Deo, nec Iobo reprehensus (apud Iob. c. 37.) occurrat ingeratq; : *forsitan cum Deo fabricatus es cælos, qui solidissimi quasi ære fusi sunt.* Cui se facilè iunget Isaias 51. *Cœli sicut fumus* (nondũ liquescunt) sed *liquescẽt*. Et Salom. 2. Paral. 6. *Tu exaudies de cœlo firmissimo habitaculo tuo.* Alia in Philosophia deliria tua libẽs prętereo, eo quod & multa sint, quæ paucis comprehendi nequeant, & obuia eruditis hominibus, qui iã pridem Caluinistarũ circa Quantitatẽ somnia obseruârunt. Nã somniũ est & nó ratiocinatio, cũ ait §. 68. *omnis substantia creata dimensiua, necessario est finita, ergo vno loco vel vnius loci finibus est definita.* Quasi vero res finita fiat

Obiectio prædicantis 1.

Solutio.

sta-

statim infinita si tribus vel pluribus definitis ponatur locis. Disce quod infinitum sit Aristoteli, cuius semper aliquid est sumere extra, vel quod Quantitatem habet cuius finis nec esse nec cogitari potest. Corpus autem Christi siue vno, siue pluribus locis constituatur, semper eandem suam retiner quantitatem quam habet finitam. Somnium est: 2. Obiect. *Omnis magnitudo est continua & necessario figurata, ergo vno solo loco posita.* Solut. Nam etiam corpus quod in pluribus est locis, in singulis continuum est (vt quod habeat in ijs omnes partes termino communi copulatas) in singulis figuram formamq; retinet eandem, vt quod idem numero statuatur in illis. Somnium est: *omne corpus* 3. Obiect. *trinam habet dimensionem, ergo spatium requirit adaequatum.* Sol. aut enim quod erat probandum aduersarius assumit in antecedente, aut dimesio hæc intelligenda erit, non quæ in actuali commensuratione ad locum consistit, sed quæ sit aliquid ea prius & à loci cõmensuratione nutu omnipotentis Dei separari possit. Somnium est: 4. Obiect. *corpus quà vnum est indiuisum in se est, non ergo potest esse in diuisis locis.* Sol. Manet enim in singulis locis indiuisum in se (vt quod naturam formamque cum omnibus suis partibus retineat eandem in locis singulis) sola loca quæ extrinsecus accidunt, sunt diuisa. At Augustus. 5. Obiect. ad Dardanum epistola 57. ait: *tolle spacia locorum à corporibus & nusquam erunt.* Solut. Sed nihil etiam hoc contra assertam veritatem.

Nam

Sol.

Nam Augustinus tantum vult, omni corpori suum vbi, siue locum intrinsecum attribuendum, qui si tollatur, ita vt non detur vbi in rerum natura statuatur, prorsum etiam corpus tolletur. Quod enim alicubi non est, siue spiritus sit, siue corpus, siue Quantitas Qualitásue, vel res alia, id prorsus nō est. Plus quam somnium est: quod identidem proprietates essentiales rememorat: cum eiusmodi, quę de essentia rerum sint, & proinde in earum definitionibus præter genus & differentiam includi debeant, nullæ possint assignari. Sed omnis vera proprietas, verum est accidens & verè extra essentiam rei eaq; posterius, vt ob id ab ea vi transnaturali vel separari vel in ea salua eius vnitate multiplicari possit. Illud autem quod vis §. 93 grauitatem esse formam securis aliorumq; corporum grauium, & à suo formato auferri non posse, vtpote per quod ipsum sit quod est, nescio insciti am an stuporem dixerim verius. Prorsus purum, putum accidens est grauitas, tam terræ, quàm hominis, lapidis vel securis, alioquin vt eadem in illis specie grauitas existit, ita natura & forma eadem specie hominis & lapidis erit. Nec dices ad formam grauis corporis pertinet grauitas, quia eadem ratione aquæ calidæ quà calida est, hominis albicantis quà albus est, barbati ministri, quà barbatus est, formam esse potes asseuerare, negareque calorem, albedinem

Proprietates essentiales Prædicanticæ.

nem & barbam à subiectis ante positis auferri posse. Pugnas in his posterioribus cum rerum magistra experientia; pugnas in altero cum potentia diuina, quæ grauitatem nullo negotio homini adimere potest, sicut auferet ab eo in cęlis appetitum cibi, potus, somni, aliarumque rerum humanæ naturæ congruentium. Desinet tunc ad corruptionem tendere corpus hominis, & tamen quatuor constabit elementis pugnantibus, primaq; materia. Perge nunc inflare buccas tuas; crepa adhuc velut laguncula musto plena, egregiam Philosophiam; detriumpha inter luscos Strabo rudes Philosophiæ Iesuitas; nemo est qui ex his non videat, quantus sis Philosophus, quam stolidus sis in physicis æquè ac Theologicis hæreticus.

CAPVT XIX.

Caluini Deum esse corruptorem cæli & terræ.

AD calcem 7. thesis vt plenus construeretur primus Caluiniani symboli articulus annexum fuit. *Corruptorem cæli & terræ.* Ex quo quartam criminationem Iesuiticam contexit prædicans. Sed eodem quo hactenus successu. Nam quod ad rem ipsam attinet, non alius cogitari potest, qui descriptus est Deus Caluinianus quã corruptor cæli & terræ. Primo, quia Lucifer cæteriq; coryphæi infernalium 1. Ratio.

lium copiarum corruptores sunt cæli (è quo præcipites in Tartara secum Angelos pelle-xerunt plurimos) & terræ (quam ab Adæ in paradiso lapsu ad hunc vsque diem nunquam disperdere destiterunt) at Lucifer aut saltem alius aliquis genius malus, Caluinistarum est Deus, prout iam luce meridiana clarius effecimus. Eorum igitur Deus est corruptor cæli & terræ. 2. Si Caluinistarum Deus æterno suo decreto constituit, vt sua defectione periret Adam, itemq; Apostaticus angelorum cœtus: vtiq; primus ipse terræ & cæli, eorúmue qui in ipsis agunt, corruptor fuit. Atqui verum prius, verum igitur etiam posterius. Nec potest dubitari, quin decretum tale Caluinisticus Deus condiderit, *sic enim* 3. Instit. c. 23. §. 7. *Decretum quidem horribile* (vt sua defectione periret Adam) *fateor, inficiari tamen nemo poterit, quin præsciuerit Deus, quem exitũ esset habiturus homo antequam ipsum conderet, & ideo præsciuerit* (ab æterno ante præuisum omne peccatum) *quia decreto suo* (quod pro omnipotẽtissima voluntate decernente nõ potest non esse efficacissimũ) *sic ordinauerat* (vt rueret in peccatũ homo) sed de his supra & Becanus cap. 3. de prædest. Calu. & c. 1. de Deo Caluinist. Hic rursum obmurmurat nonnulla prædicans de improprijs & duriusculis phrasibus Caluini, quas melle edulcari à nobis oportuisset, additque Deo permittente lapsum Adamum, at non permi-

permisisse nisi volentem, lapsum igitur Deo volente, Sed in hoc à Caluino ad Romanenses imprudens deficit. Illi enim contendunt labi hominem, Deo volente peccati permissionem, quia in sui arbitrij libertate eum constituerat; at nō labi Deo volente & decernente ipsum peccatum permissum, quia id planè Deo contrarium est. Sed ad incudem cantilenas; suprà auditas reuertimur, ita Prædicante postulante, cui nihil gratius, quam eandem ad chordam occasiuncula data minima aberrare, & voluntatem Dei Caluinistici pro suo arbitrio & voluntate interpretari, obscurare, torquere.

Vult Deus peccati permissionem vt quę congruat agēti libero. at peccatum permissum non vult.

THESIS OCTAVA.

EX dictis nullo iam negotio hæc deducuntur, 1. Articulum Caluiniani symboli primum reuera hunc esse: CREDO IN DIABOLVM, CARNIFICEM, ORCIPOTENTEM, CORRVPTOREM COELI ET TERRAE. *2. Proinde longè alium esse Deum Christianorū quam Caluinianorum: quandoquidem nō sicut Caluiniani, ita Christiani Dei potentia; sed patientia; non impulsu & operatione; sed indulgentia & permissione peccata fiunt, vt eleganter B. Augustinus.* in Ioan. tract. 53. *3. Probabilius tamen videri intelligentiores Caluinisequas, prorsus Atheos esse, & cum Godefrido à Valle Parisijs exusto an. Christi 1572. potius credere nullum, qua vllū talem esse Deum. 4. Nō referre, si quidē nullus sit Deus, quem Dei cultum & religionem profitearus; si iurata lingua*

mentem iniuratam geras; Si cum Bucero ex Zvvingliano fias Lutheranus; ex Lutherão Semicatholicus; ex Semicatholico Sacramentarius; ex Sacramentario Iudæus obduratus. Si cum Adamo Neuſero Heidelbergenſi olim Paſtore, cum Alamanno, Blandrata, Statorio, Socino, Liſmanno aliiſq; primis per Sarmatiam Caluiniani Euangelij Apoſtolis transfugias ad Turciſmum. cui nullus Deus eſt, illi omnis religio perinde eſt: niſi quod Mahometiſmus eò ſit Caluiniſtis gratior; quo & fœdarum carnis voluptatum maior eſt approbator & doctrinæ Sacramentariorum conſonantior.

CAPVT XX.

De Corollarijs.

AD hæc corollaria ex præcedẽtibus pendentia, ſeq; conſequentia ſecundum rectæ rationis diſcurſum, raptus extra ſe lymphatoq; ſimilis, debacchatur atrociter in aduerſarium prædicans. Exclamat ad primum. *Increpet te Dominus Sathan.* Quare? quia *quadruplex hoc eſt mendacium planè diabolicum, & abominanda in Deum* Caluiniſticum *blaſphemia.* Planè Dominus increpet te nouitium populi ſeductorem & Eccleſiæ Sathanam, qui infinities iam nũc impudentiſsimorum mendaciorum redargutus, adeo adhuc bardus & brutus es, vt non palpes totum primum articulum ex premiſsis verbotenus conſequi. Fruſtra furis aduerſus concluſionem, vbi præmiſſæ ante ſunt poſitæ.

Ad

Ad 2. cruſtaceum quendam Deum in phantaſijs Caluiniſtarum, velut in fornaculis quibuſdam Vulcanijs piſtum, eructat benè cœnatus Prædicans. Sed enim Catholicis hoc idoli prorſus eſt incognitum: qui etſi Chriſtum latentem ſub ſpecie panis cum omnibus maioribus ſuis venerantur; non tamen cruſtaceum quid adorant, non magis, quam vel laneum quid, dum Deum Chriſtum indutum veſte; vel lapideum quid, aut ligneum, dum in ſepulchro præſepique Bethlemitico iacentem adorant. Reliquos de permiſsione & voluntate Caluiniſtici Numinis coccyſmos ne quidem attingendos amplius duco.

Chriſtus ſub ſpecie panis fide agnitus adoratur.

Ad 3. pro Atheiſmo Caluiniſequarum in theſi inſinuato, Prædicans reponit martyres ſuorum Sacramentariorum. Prô quantos heroas! quam glorioſos athletas! Audi enim Martyrologium Caluiniſticum. 11. Octobris anni 1531. in Heluetia pugnans in prima acie contra Apoſtolorum patrumq; ſuorum doctrinam à pauculis Cătonibus Catholicis cum plurimis Sacramentarijs miſerè trucidatus, inq; cineres redactus eſt Vlricus Zvvinglius: qui gladiator non malus Capharnaitarum vexillum primus iterum extollere cœpit. Eius cineres domũ Tigurini quidam magna cum reuerentia aſportârunt. Surius Anno 1531. Item non multo poſt memorabili fine extremum diem clauſit Baſileæ D. Ioannes Oecolampa-

Martyrologium Sacramentariorum.

lampadius, professione pseudologus, author Caluangelicæ doctrinæ in ea vrbe primus (circa annum Christi fere 1528.) & templi ibidem protoepiscopus, apostata monachus, maritus sacrilegus, qui suffocatus à Sathana (vt Lutherus dicit in lib. de Missa priuata) morte digna vitæ meritis expirauit. Item ibidem memoria est Carolstadij primum archidiaconi VVittenbergensis, sed post illucescente magis Euangelica libertate, diaconi in Tigurina Ecclesia. Hic post graues à Lutheranisq; persecutiones, año 1530. strãgulatus à Caluiniano Numine martyr Caluinisticus alacer ad inferas sedes perrexit, vt refert Erasmus *Alberus*. Item Geneuæ soleñitas Ioannis *Caluini*, hominis nati ad decipiendos simplices, orbemq; seditionibus replendũ, qui postquam ad extrema deuenit, vt Herodes quispiam pediculari morbo consumtus inter blasphemas voces, quib. diei suo, Deoq; vero maledixit, animam orcipotẽti An. 1567. commisit, Bolsecus in vita Cal. Eius translatio celebratur Nouioduni, quando in publicum eductus nudatusque ante ora populi tribus in dorso candentibus lilijs propter Sodomopolitarum castitatem est insignitus relegatusque in exilium. ibidem. Item in Anglia protomartyris cuiusdam, apud Foxum, qui 17. annis in scriptura Caluiniana positis cum supplicio foret afficiendus, hanc constantissimè fidem est pro-

professus: Christum omnibus operibus suis cælum non promeruisse. Foxus. Item in Anglia Thomæ Cranmeri: qui ex tepido Catholico sub Henrico 8. in Anglia primum factus est Henricianus, vsq; eo noui Euangelij calore spirituq; exæstuans, vt quã initio propalam mulierem circumducere non audebat, eam ciſtæ inclusam secum veheret. Post sub Eduardo transijt ad Lutheranos impanatum Deum in Catechismo suo docens. deniq; cum transijsset ad Caluinistas, ad extremum captus sub regina Sapientissima Maria, conuictusque in publicis regni comitijs, suaque ipsius confessione reus Oxonij per ignem ex hoc mundo ad ollas vulcanias euolauit. Flores Caluinistici fol. 42. Item eadem in prouincia celebris apud Foxum martyris Guilhelmi Coabrigij, qui Christi nomen auersis aũribus vsq; adeo excipiebat, vt neq; lectionem nec mentionem eius ferret: asserebat prẽterea, neq; Apostolos neq; Euangelistas, neq; quatuor Ecclesiæ Doctores, adhuc patefeciſſe qua ratione peccatores salui fiãt: Christum nõ esse mundi redemptorem sed deceptorem, & qui in nomine eius crediderunt in inferno damnatos esse. Alanus Copus Dialog. 6. c. 10. Item in Scotia famigeratorũ cõfessorũ, ppter adulteria, homicidia, furta, colloquia cũ dæmone, Ioannis Knoxij, Kellochi, Viliochi, Pauli Methuensis, Ioannis Duriæ ministri Edinburgensis ad concionem ascendere cõsueti cũ bõbardis duab. vt verbo

Christum esse deceptorem.

& igne nouum firmaret Euangelium, Thomę Moensis, Thomæ Rae Sodomitæ, & aliorum suspendio extinctorum propter rapinas. Vide flores Caluinisticos fol. 85. Item in Saxonia festum primi Apostoli Caluiniani Nicolai Crellij propter seditiosum sanguinariumque nouangelium 9. Nouembris anni 1601. capite diminuti ex decreto summi Magistratus. Item Monasterij in VVestphalia Stautenbernij recordatio, qui triueneficus ex pessimo Catholico factus est Lutheranus, & mox ex Lutherano Argentinæ, opera Buceri (Magistri Ioannis Caluini) reformatus degenerauit in Sacramentarium, cœnamque Caluinisticam, panes albos in manicis Monasterij circumtulit. Hic à Catholicis vrbem capientibus cæsus in pugna, suspendium è turri vrbis altissima candentesq; forcipes socijs impactas euasit An. 1534. Maluissem vt prædicans suos insinuasset nominatim martyres, ego lubens pepercissem huic martyrum Caluinianorum, pauculorum quidem, sed omnium maximè illustrium colligendorum labori. Debebat etiam atheos illos Necromantas, Sodomitas, Epicureos inter Pontifices nominatim proponere, vt conspiceremus num afferret aliquos à Bellarm. lib. 4. c. 8. & sequentibus iam pridem non defensos. Sed secundum artem Caluinianam maluit in confuso loqui, ne si quę hic exprimeret distinctè statim reus deprehen-

prehenderetur falsi. Nouimus nõ omnes Romæ fuisse sanctos, sed nec in duodenario Apostolorum collegio omnes sancti fuerunt. Inter diaconos septem, castitatis laudem nõ parum obnubilauit Nicolaus (à quo Nicolaitæ orti sunt) & inter innumera millia hominum ex omni natione Romæ versantium omnes sint incorrupti integriq́ue! habet vrbs malos non paucos, etiam habet bonos nõ pauciores eosq́; omni virtute instructissimos. miscentur zizania tritico & mali pisces sagena capiuntur æquè ac boni. De suis reformatis ipse Caluinus lib. de scandalis sic loquitur: *Cum tot hominum millia cupidè, vt videbatur nomen dedissent Euangelio* (Caluinismo) *quam pauci obsecro à suis vitijs resipuerunt? imo quid præ se maior pars tulit, nisi vt excusso superstitionum iugo, solutius in omnem lasciuiã diffluerẽt; homines Lucianici & Epicurei Papistarum ineptias lepide irridẽt sed ipsi indigni sunt qui vnq̃ ad Papismũ reuertãtur.* Et: *Nõ est, q̃ nos turbet atheismus, qui nunc* (post reformatum in Anglia Galliaq́;, Euangelium) *in toto mundo paßim grassatur.* Et: *Abutuntur* (prædicantes) *sacrilegè Euangelio ad scelerum prætextum. loquor de artificio iam non vulgari* (vsitato verbi ministris) *quo se perfidi homines ad fallendum, fraudandum, modisq́; omnibus nocendum* (populo) *insinuant: zelum* (prælect. in Dan. ca. 11.) *quidam præclarum simulant, si tamen intus excutias, reperies plenos eos esse perfidia & fraudibus.* Nihil attinet similia ex Musculi locis communibus; Luthero Tom. 5. in cap. 8. Matth.

Caluinizãtes sunt athei testimonio Caluini.

Matth. Erasmo in epistola ad fratres inferioris Germaniæ: Czanouio de corruptis moribus vtriusq; partis; Smidelino in cap. 21. Luc. concione 4. alijsq; afferre. Testem (qualem vult) dedimus atheismi Caluinistici ipsum Caluinum, cum tamen ipse corruptelarum in vrbe testes laudet nullos, nisi Platinas, Bennonas, Petrarchas, infestos quibusdam Romanis Pontificibus propter carceres & alias priuatas causas aduersarios.

Godefrid. à Valle ex Caluinista fit atheus.

De Godefrido à Valle non est cur anilem esse fabulam putet; consulat tantum tabulas Parisienses publicas, vel *si mauult*, Maldonatum in c. 26. Matth. vers. 26. Nonnulli, inquit, Caluinistæ progressi sunt lõgius, vt nihil crederent, quorum vnus *Godefridus* à Valle, Lutetiæ anno 1572. publicè exustus, cum libellum quendam his annis de arte nihil credendi composuisset, nihil in eo nisi hoc vnum verum dixit, oportere prius Caluinistam fieri, qui atheus esse volet. Fuerat ille antea Caluinista, fuit postea atheus. vnicuique in sua arte credendum est. Hæc ille professor Theologiæ Parisiensis de re gesta in theatro totius orbis clarissimo Lutetiæ, vt ignorare ei quod gestum fuit non licuerit: mentiri vero in re tam clara & publicis litteris consignata non potuerit. Prædicantium, non autem Catholicorum veri studiosorum est proprium, egregiè impudenterq; mentiri quidli-

bet,

bet, quomodo §. 100. Iesuitis ascribit hic insulsus prædicans sine teste, solum quia ita libet, Admiralij aliorumq; Hugonottorum Parisijs factam cædem, quos tamen nemo prudens ea de re vnquam in suspicionem magis vocauit, quam de bello inter Selymum & Prętoloannem de quo Surius An. 1572.

Ad 4. omnia horrenda vult esse maledicta. Quasi verò vllum caput, nisi fortè Vorstio-Caluinianum, adeò sit sine omni cerebro, vt non iudicet verissimum, homines intelligentes potius credituros, nullũ esse Deum, quam Sathanam Deum esse. Vbi autem sibi persuaserint Deum esse nullum, quasi verò tum pro Dei cuiuspiam religione sint pugnaturi, aut reformidaturi per eum iurare, peierare, Magistratus populosq; circumducere. Non sunt ea corollaria maximè 3. & 4. pro vulgo, à Magistris licentiæ decepto, sed pro Rabbinis & magnis (vt sibi videntur) clamosisq; Caluinismi Coryphæis: eos ad istum modum necessario ratiocinari credimus, idque si cui, rerum passim in Europa à Caluinistis perditissimè gestarum, ignaro dubiũ est, adeat Artem mentiendi Caluinisticam, Flores Caluinisticos, Incendium Caluinisticum, Caluino Turcismum aliosque libros Caluinianæ perfidiæ & proditionum plenos. Et quid mirum? hominibus seruent fidem, qui violant Christo datam in Baptismo? qui doctrinam à Spiritu S. reuelatã & per Apostolos traditã proculcant?

qui

qui maioribus, omnibusq; priscę Ecclesię Doctoribus fidem omnem abrogant? maneat ergo Caluinistarum tessera propria.

Iura, periura, secretum prodere noli.

Nam quod Alexandrum 6. hac etiam labe aspergere conatur ex Machiauello, in eo se ,,pdit sui immemorem: quando suprà noluit testes suspectos. At quis magis suspectus ter execrando Machiauello politicorum ductore, Atheismi doctore, hoste iurato illius Pontificis? Et vt talis fuisset in vita, id non ab alio illi suggestum fuisset, quam à Caluiniano numine. Neq; enim doctrina Catholica id eum docuit, quæ his è diametro contradicit, suosque manu quasi ducit ad omnem vitæ sanctitatem & iustitiam: vt nequicquam iterum relabaris §. 106. ad papistici cleri cælibatum moresque aliquorum corruptos. Doctrina Catholica eos ad orandum horasq; canonicas Deo deotè recitandas excitat; ea iubet ipsos & sibi & alijs gratiam diuinam ad seruiendum Creatori exposcere; ad ieiunia, macerationemq; carnis suis illos præceptis exstimulat; inuitat ad cilicia, ad cineres, ad lacrymas, ad vigilias, ad bellum cum carne, mundo & Sathana gerendum: Non sunt hæc irritamenta libidinum scelerumque fomenta, sed instrumenta ad omnem honestatem & virtutem. Fateor, minus audientes sunt nonnulli his doctrinæ Catholicæ vocibus, sed eius rei infelix Caluino-

Cleri Catholici exercitia propria.

præ-

prædicans, tu cum tuis es fons & scaturigo: Tu opera bona vt satisfactiones quasdam humanas, malitiosè exagitas: Tu cum tuis leges apostolicas vt hominum mandata explodis: Tu obseruantiam debitamque maiorum sanctionibus reuerẽtiam proculcas: Tu stygium tuum virus Ecclesiasticis Catholicisq; affias, faciſq; vt nonnulli languescant quandoq; animis, minusq; secum generosè decertẽt, exemplis tuorum pessimis licentiaq; viuendi maxima profanescentes. Sed non erat quod eos aspiceres, respice tuos: Caluinum tribus lilijs propter scelus Sodomiæ in dorso denigratum (Bolsecus c. 5. in vita Calu. ex tabulis publicis) Bezam, Claudiæ (quam candidam vocat abductam à marito sartore Parisiensi) & Audeberti amoribus infamem, de quo ipsemet:

Caluinistæ cũ suis authores corruptionis in clero.

Castitas Caluinistarum.

Abest Candida, Beza quid moraris?
Audebertus abest, quid hic moraris?
Tenent Parisij tuos amores, &c. quæ sequuntur.

Zvvinglium respice velut Aetnam salacitatis spiritu succensum, simulac se ad vestrum Euangelismum transtulit, vt de seipso loquitur Tom. 2. in respons. ad Luther. lib. de Sacram. Deniq; Bucerum alioſque intuere, quibus, vt mulier æquè necessaria viro censetur, ac cibus & potus; ita preces, cilicia, ieiunia, flagella cæteraque quibus petulca caro retunditur, non minus sunt inuisa quam dracones & vipe-

viperæ. Vnde quod quidam poëtaſter tibi ſuppeditauit Carmen in Romam, ita verius leges ad Bezam ipſiq; ſimiles ſcurras & cynædos accommodatum.

Beza vale, vidi: ſatis eſt vidiſſe, reuertar,
Cum leno, meretrix, ſcurra cynædus ero; perſimilis ſc. Bezæ.

CAPVT XXI.

Caluiniſtas Mahometizare.

Caluiniſmus & Mahometiſmus fratres.

SEd quia omnium grauiſimè Vorſtius fert §. 104. Caluiniſtas inſimulari alicuius Turciſmi, coronidis loco ad finẽ huius articuli ea de re pauca ſubijciemus, nõ è noſtro ſenſu deprompta, ſed ab alijs mutuata. Ex quibus Lutherani aiunt Caluiniſmũ, *Mahometiſmum*, Arrianiſmum tres eſſe fratres & ſorores, tres ex vno panno caligas (Schutz lib. 50. cauſarum, &c.) Caluiniſtas eſſe Mahometanos baptizatos lib. Ienæ impreſſo Anno 1586. Caluiniſtas longè eſſe deteriores Turcis, inque Eccleſiam inducere ethniciſmum, Thalmudiſmum, Mahometiſmum. Brentius in Bullingeri coronide & recognit. Prophet. Fusè idem in Caluino Turciſmo docet Reginaldus lib. 2. c. 19. lib. 3. c. 3. l. 4. c. 22. & alibi. Sed magis mirãdum id ipſos quoq; Caluiniſtas fateri. Quis enim neſcit ex litteris Aloyſij Cuchij ad Bartholomæum de Rodolphis Venetum patricium, anno 1568. caluiniſtas Conſtantinopoli id per VVilhelmum de Gran Ry egiſſe vt

ſub

sub protectionem Turcarum reciperentur? idq; non alio grauiori argumento, quam: quia (vt aiunt) *nostra religio* (caluinistica) *similli-ma est Turcicæ; nisi quod ieiunijs & eleemosynis, non ita vt Turcæ sumus obstricti propter conscientiæ libertatẽ.* Quis nescit in Belgio caluinistas suo in vexillo detulisse figuram Lunæ crescentis argẽteam, quasi sub Turcarũ signis iam tunc militarent, cum hac inscriptione. *Plutoſt Turcs que Papaux, potius Turcæ quam Papistæ?* cui nõ sæpius auditum est, hac de re testimonium Adami Neuseri apud Stephanum Gerlacium Doctorem Tubingensem in epistola dedicatoria assensionis piæ, &c. Tubingæ editæ an. 1585. fuerat Neuserus iste in Palatinatu, & quidem Heidelbergę Pastor caluinianꝰ, factus est post Mahometanus: idq; hac ratione, quam retulit ipse Gerlachio. *Agitabatur quæstio de reali cõmunicatione idiomatum diuinorum, in hac dum hæret, in eam paulatim venit cogitationem, Christum non esse filium Dei, vt cui nulla realis communio sit cum Deo, tum quod finitum nõ sit capax infiniti, tum quod finiti ad infinitum nulla est proportio. Hominem igitur eum, & in docendo excellentem fuisse gratiaq; eminuisse concluſit. Hinc ad Trinitatem disquirendam gressum fecit: quam in re Transyluanorum scripto adiutus, vnum esse Deum verum & æternum, cui nec Christus nec spiritus S. cõsubstantialis & coæternus esset, deprehẽdit, idq; Scripturis cõsentaneum, vt proinde duob. ante fugã annis infautẽ nullũ in nomine S. Trinit. baptizârit.*

Caluinistæ sua ipsorũ cõfessione Turcizant.

Pulcher discursus ex intimis Caluinianæ Theologiæ sacrarijs.

Caluinista Neuserus incipit dubitare primo, an Christus sit Dei filius.

Mox S. Trinitatem abnegat.

His

His eius opinionibus detectis Spiræ in comitijs cum Syluano trahitur ad Electorem Palatinum, cui in faciem respondit, *nisi Caluinianus factus fuissem, eò non deuenissem.* Sed elapsus è carcere primum in Poloniam venit, vbi idem de Christo & Trinitate doceri à multis Caluini amicis & discipulis audiuit, inde quo tutior esset in Transyluaniam ad Franciscum Dauidis, eiusq; gregales perrexit, qui Christum vt nudum hominem non redemisse genus humanum disputârunt, bibliaq; vt alicubi secum pugnantia carpserunt. Quibus omnibus instructus, Mahometismum profiteri apertè cœpit, inque litteris ad Syluanum scripsit, se *credere omnia esse vera, quæ in Alcorano habentur.* Etiam in Epistola ad Gerlachium Ann. 1574. 2. Iulij data: *Nullus*, ait, *nostro tempore mihi notus factus est Arrianus* (Christi diuinitatem negans) *qui non ante fuerit Caluinista*: vt Seruetus, Blandrata, Alciatus, Franciscus Dauidis, Gentilis, Gribaldus, Syluanus (Heidelbergę capite plexus) & alij. *Igitur qui timet sibi ne incidat in Arrianismum* (& cohærentem illi Mahometismum) *caueat Caluinismum.* Experto crede Roberto Prædicans, nec indignare, si ipsi potius, & post ipsum alijs credamus, præcipuos per Poloniam, Vngariam, Transyluaniam Caluinistas à Christi diuinitate & religione aberrasse ad impietatem Mahometismi, quod etiã de Paulo Alciato, Beza in acta, de Gentili in præfat.

Carpit Biblia.

Mahometismum profitetur.

Sim-

Simlerus, Iacobus Andreæ in præfat. refutat. Apologiæ Danei, alijq; de alijs testantur innumeris. Necaliter fieri potest propter doctrinæ Caluinianæ & Mahometanæ conuenientiam maximam. Vt enim taceam vtriusq; initium à seditionibus, armis, bellis sumptum, Mahometismi per Asiam, Caluinismi per Galliam, Scotiam, Belgium, reliquasq; orbis oras (de quibus Flores Caluinistarum, historiæq;.)

Cõuenientia Caluinismi & Mahometismi in doctrina.

1. Mahometus religionis suæ arcem cõstituit legem & Euangelium secundum ipsius opiniones expurgatum: Idem propugnaculum est Caluinistarum, contendentium legem & Euangelium, intelligenda secundum cõmenta Caluini, iuxta Bezæ ex Græco in Latinum peruersionem, secundum phantasiam Bullingeri, Zvvinglij vel alicuius Sacramenti perdę.

1. Mahometani & Caluiniani reuocãt se ad scripturas à se purgatas in tellectasque.

2. Nullos suæ doctrinæ iudices tulit Mahometus, scripturam Iudicem sibi sufficientem clamitans. Nec Caluinistis vel Concilia sacra vel Doctores vel Patres vel Pontifices apti controuersiarũ possunt esse iudices. 3. Diem Dominicum transtulit ad diem Veneris sublatis alijs festis, venereus nepos Mahometus: etiam sublatis alijs solennioribus diebus, Dominicum in Diem Veneris traijcere conatus est stigmaticus homo Ioannes Caluinus. Hinc quidam eius condiscipulus.

2. Vtrique nullos volunt iudices controuersiarum.

3. Vtrique conspirant in abrogandis festis.

Vult transferre diem Caluinus ab ordine festum,
Quem Domino ascribens hebdomas omnis habet.

Vtq, dies Veneris tali potiatur honore
Facta inter ciues seditione iubet.
Vtere Caluino, Germania tota Magistro,
Sit licet insanus non ratione caret.
Tu Dominæ Veneri Dominum postponis IESVM,
Iure huius festum vendicat illa sibi.
Hoc verbis persuade igitur Caluine, vel armis,
Si Veneri faueas, Mars tibi fautor erit.

Quin etiam mutare voluit festum Natiuitatis Christi, Circumcisionis, Ascensionis, Annunciationis. Bolsecus cap. 6. in vita Calu. 4. Imagines Christi & Sanctorum execrantur Turcæ Christianosque vocant ea causa idolatras: etiam Christi Sanctorumque omnium abominatur effigies cum omnibus suis Caluinus, nisi quod sui imaginem è collo ferri non indignetur, respondens id calumniantibus (Lanoy de Calu. c. 12.) si quis hoc spectaculo offendatur, ne deinceps id videat, vt oculos sibi eruat, vel se suspendat. 5. Turcarum moschea siue Ecclesiæ parum discrepãt à domibus communibus, parum à ciue vel milite distat apud eos proletarius Sacerdos: parum etiam Caluinæa siue templa Caluiniana, & in ijs Ministri distant à cœnaculis publicis & hominibus profanis ac militibus sclopetarijs. 6: Baptismo non ad necessitatem, sed fœtorem quendam aspellendum libenter vtuntur Turcæ; etiam baptismo non necessario vtuntur Caluinistæ, filios fidelium vi solius prædestinationis cœlo trãscribentes. 7. Morum

4. Vtrique imagines exscindunt

5. Vtrique horrea pro templis habent.

6. Baptismus neutris est necessarius ad salutem.

im-

improbitas insæcunditasque in vxore, iusta Turcis diuortij est causa: probatur eadem causa Caluinistis. Hinc Antonius Caluini germanus frater (Theueninus in historia Bezæ fol. 33.) minorem natu filiam Nicolai de Fer coniugem suã repudiauit. Hinc Oecolampadius priori dimissa aliam duxit (Prateolus in Elencho verbo Mahomet) hinc Beza ereptam Sartori vxorem sibi retinuit (Bolsecus de vita Bezæ) Buceri ad c. 17. Matth. sententia est: Iudæis permissum erat ob duritiam cordis dimittere vxores & alias ducere. ergo idem licere debet Christianis, quando eadem in illis inuenitur cordis diuitia. extant de hoc canones Ecclesiæ Geneuensis in Caluino Turcismo lib. 2. c. 10. 8. Polygamiam suis permisit Mahometus; permittũt eandem Caluinistę. Hinc Ochinus lib. 2. Dial. c. 21. ait: *Paulus Episcopis & diaconis plures vxores interdicit: cæteris tacitè concedit.* &: *Pauli mens est hæc, vt Christianis plures vxores habere liceat. At Episcopis non nisi singulas.* &: *Quanquam illud credo, vt antiquitus interdictum est, ne Reges haberent multos equos, hoc est multitudinem nimiam, ita quoque interdictum Episcopis, non plures sed immodicam multitudinem vxorum.* Ochinum cum affero solem quendam Caluinisticum exhibeo, vtpote de quo Balæus Caluinista præfat. in acta Roman. Pontific. *Petrũ Martyrẽ* (ô Tigurini) *& Bernardinum Ochinũ in Tigurũ recepistis. Quæ duo luminaria? quorũ alterum si aliæ haberẽt Ecclesiæ magno ornamento*

7. Matrimonium vtriusq; dissoluitur.

Caluinistæ repudiant vxores suas.

8. Mahometus & Caluinistæ probant polygamiam.

& thesauro ditatæ & beatæ viderentur. De hoc etiam ipse Caluinus lib. de Scandalis. *Quos*, inquit, *Itali* (Papistæ) *Bernardino Ochino & Petro Martyri* (Apostatis ad Caluinum monachis) *opponent?* Deniq; Christi diuinitatem cum Sanctissima Trinitate explosit Mahometus, exsibilat eandem Caluinismus, de quo Apodixi 2. Ex quibus liquet non ouum ouo similius, quam Caluinismum Turcismo, ita vt & Caluinus Mahometizet, & Mahometus Caluinizet. Sed iam sit satis de primo Caluinistici Credo articulo, à cuius professione verus Deus omnes Christi fideles liberet.

9. Vtrique Christi diuinitatem tollunt.

APO.

APODIXIS II.

BLASPHEMIARVM CALVINISTICARVM CIRCA SECVNDVM APOSTOLICI SYMboli articulum.

ARTICVLVS SECVNDVS.

Et in Iesum Christum, filium eius vnicum, Dominum nostrum.

THESIS NONA.

IN IESVM. *Quid filio futurum est, vbi Pater vsq; adeo est deturpatus? Caue honoris causa ad nomen Iesu caput aperias aut genu flectas, sicut fieri consuetum est ad eximiorum Principum mentionem.* Nam plusquam ridiculi Caluin. in cap. 2. ad Philip. sunt Sorbonici Sophistæ, qui ex illo Pauli; In nomine Iesu flectatur omne genu, &c. flecten dum esse genu colligant, quoties nomen Iesu pronunciatur. *Caue Iesum dictum esse putes, quod ipse saluum facturus esset populum, prout præmonuit cœlestis paranymphus* Matth. 1. *Nec saluauit nec perfectè saluare potuit mundū à peccatis. Ille enim agnus est, non qui tollit peccatum mundi. sed tegit* Ioan. 1. *non qui delet, abluit, mundat iniquitatem* Psal. 50. *populi, sed inumbrat, conuelat, occultat, ne eam videat iam quasi cacutiens Deus Pater; non qui consolidat sanat redintegrat* Ezech. 34. *quod per serpentem destructum est; sed emplastro tantum obducit, ne visum*

animæ vlcus vulnusq; suppurans nauseam moueat. Hæc peruersitas *inquit loquens de peccato* 2. Inst. cap. 1. §. 8. nunquam in nobis cessat. *Et alibi lib. 4. Instit. cap. 15. §. 10.* Iam perspicuum est quàm falsum sit per Baptismum solui nos & eximi ab originali peccato: *Ab his non abludit in antidoto Tridentini Concilij sess. 5.* Manet verè peccatum in nobis, neque per Baptismum extinguitur. *Sed ignoscendum Iesu, si peccatum Caluino non sustulerit, pro quo in solidum & ex asse iustum redemptionis pretiũ patri dependere non potuit.* Fateor, enim, ait, 2. Instit. cap. 17. §. 1. Si quis simpliciter & per sè Christum opponere velit iudicio Dei, non forè merito locum; quia non reperitur in Christo homine dignitas, quæ possit Deum promereri, *siue quod idem est, cui ex iustitia, ratione passionis infinitè pretiosæ, pater debeat remissionem delictorum.*

CAPVT I.

Caluinistas esse impios, quod negent honorem nomini Iesus.

ARgumẽtum 1. in thesi positum est: summum impietatis in Christum argumentum censetur, plus reuerentiæ exhibere suorum Principum Nominibus, quam suauissimę saluificæq; Christi Dei ac Domini nostri Iesu nomenclaturæ. Atqui vero plus exhibent reuerentiæ Caluiniani suorũ Principum appellatio-

lationibus, quam saluberrimo Nomini IESV. Impij igitur sunt Caluinistę. Maior ex eo perspicua est, quod honor ab excellentia cognita suboriatur, eoque tribuatur vnicuique amplior, quo eius excellentia est maior. Christo igitur Iesu nominato minus deferre honoris quàm Principi, est minus in eo agnoscere excellentiæ, quàm in Principe; quę dementissima & Caluiniana planè impietas est. Minor autem nulli inter Caluinistas non versato, est exploratissima, eamq; his verbis exprobrat professori Heidelbergensi Pareo Godefridus à Driel, in antipericope, thesi 16.

Caluinistæ plus reuerentiæ suis exhibent principib⁹ quam Christo.

Vidi aliud admirandum Heidelbergæ anno proximo praterito. Nimirum vos Caluinistas ad auditum nomen Principis vestri capita aperire, dextram osculari, toto corpore assurgere, rectosq; aliquantisper cõsistere & detectos. At ad auditum sanctissimum illud Dei, ac Dom. nostri Nomen, q; est super omne nomen IESVS, *vt truncos, vt asinos, vt atheos, nulla prorsus exhibita reuerentia, ne politica quidem cõsidere.* Idem est testimonium ex Gallijs, Anglia, Scotia, Belgio à Caluinistis venientium, qui nihilo plus aiunt, caluinianos prolato nomine IESV moueri, quam si vel Cain, vel Iudam, vel Sathanam nominari audiant. Et si accidat, aliquem ex veteri consuetudine signum honoris edere, eum statim ab omnibus derideri, vt superstitiosum, cucullo dignum, Semipapistam, idololatram. Eandem sumptionem habes disertis Caluini verbis probatã in thesi ex cõment.

in cap. 2. ad Philippens. Plusquam ridiculi sunt, &c. Innuit eandem sibi (vt solet) contrarius Prædicans ipse, hic §. 5. dum tantundem efficaciæ & reuerentiæ vult ascribendum nomini Dei vel Christi, quantum nomini Iesu. At vero ad nomen Dei vel millies auditum manum pileo non admoueant Caluinisequæ. Quomodo igitur id faciant ad dulcissimum nomen Iesu?

Responsio prædicantis. Refutatio.

Respondet Prædicans §. 5. mendacium in eo latere, quod falso insimulentur Caluiniani, quasi velent aperiri caput, aut genu flecti ad nomen Iesu. Sed in eo diuertit primum à thesi, in qua exprimitur quid ipso opere præstent Caluinistæ, non autem quid velent: at ipso opere *nullum honoris indicium* præ se ferunt, si nomen Iesu pronuncient. Deinde an non vetare quoddam est, pro cõcione publica in eos debachari (prout factum vicinis in locis pro comperto tenemus) qui Iesu nomini ni reuerentiam exhibent? aut vetare non est, profiteri scribereq; *ridiculum* esse sibi persuadere *in nomine Iesu genu flectendum*? Quid? quod ipse Prædicans nõ sine suis solennibus calumnijs maligniſque mendacijs admixtis, vt ijs suorum blasphema dogmata palliet, scribat loco cit. *Vetamus crassum vulgi Papistici errorem & stolidam superstitionem in eo positam, quod vocabulo, Iesus, per se efficacia quædam diuina, imo maior quædam diuinitas, quam nomini Christi Seruatoris aut*

Nomini Iesus Syrach, Iesus Naue &c. nõ habetur honorà Catholicis sed nomini Iesus Christus ,ppter personam nominatam.

aut Dei ineſſe putetur. Quid vltra requiris Caluino prædicans? prætorium tuum edictum & vox eſt: *Vetamus.* vſitatum tibi tuiſque adiunctum illi eſt mendacium, *vulgus ſtolida ſuperſtitione vocabulo Ieſus diuinitatem quandam tribuere;* craſſus hic error eſt tuus, neſcire maximum inter nomina verbaq; rem eandem ſignificantia exiſtere diſcrimen, vnumque altero ſublimius, grandius, efficacius eſſe apud intelligẽtes, propter modum, quem habet ſignificandi ſublimiorem euidentioremq;. De vi vocabulorum.

Eundem apud Iudæos in veteri teſtamento ſignificabant Deum, hæc nomina, El, Iah, Cados, Sebaoth, Helion, Elohim, Adonai, Ehie, Agla, Sadai, Iehoua: poſtremum tamen tetragrammaton ſiue quadriliterum, vulgo fas non erat effari. Vt enim Burgenſis Exod. 3. ait: nulli fas erat nomen tetragrammaton, niſi Sacerdotibus ſolummodo pronunciare, tunc cum in templo ſolenniter populo benedicebant. Vnde hæc tanta reuerentia vni huic voci & non cæteris, cum tamen aliæ ſignificarent idem? An quod illæ Deum ſignificarent quidem, ſed ſub ea ratione, quà apprehenditur vt fortis, Robuſtus, Excelſus, Dominus, Gubernator; hæc verò deſignet Deum, qui erat, eſt, eritq; in perpetuum, ipſiuſq; naturam magis repræſentet? Habet & Redemptor noſter plura nomina, vocaturq; Verbum, Lux, Splẽdor, Imago Patris, Emanuel, Agnus, Leo, Diſcrimen inter Dei nomina, & vnde id. Diſcrimen nominum Chriſti Domini.

Messias, Christus, IESVS; sed omnium inter hæc augustissimum, amabilissimumque semper fuit postremum, vt quod non Deum (in cuius offensam incideramus) duntaxat in memoriam nobis reuocaret (prout priori loco posita faciunt) non Reges, Prophetas, aut Sacerdotes, aliaq; significatu suo latè fuso indicaret, sicut nomen Christi, Psalm. 17. Reg. 24, Isai. 45. non acceptione metaphorica animum distraheret, sed Deum & hominem, qui animam suam pro anima nostra posuit, vt ipsi proprium & personale exprimeret. *Cum nomino Iesum*, ait B. Bernard. serm. 15. in Cantica, *hominem mihi propono mitem, humilem corde, benignum, sobrium, castum, misericordem, & omni sanctitate conspicuũ, eundemq; ipsum Deum omnipotentem, qui suo me exemplo sanet, & roboret adiutorio. Hæc omnia simul mihi sonant, cum insonuerit mihi* IESVS, *summo mihi exempla de homine, auxilia à potente.* Multi sunt hoc in argumento tractando vetusti Patres, de quibus Barradius tom. 1. li. 9. c. 7.

De vi nominum cõtra morbos.

Nouimus vocabula nullam vim habere naturalem, vulnera vel morbos sanandi, dæmones fugandi, sanguinem sistendi, ferrum hebetandi, noxas depellendi, vt docet Delrio disq. Mag. lib. 1. c. 14. q. 3. Illud interim negari non posse arbitramur, quin vnum alio sit hoc efficacius ad animos mœrore, metu, lætitia, alijsque affectionibus complendos, quo expressius ea significat, quæ ad gaudium tristitiamque inui-

inuitant. Nonne imagines amicorum nostrorum hoc magis nos exhilarant, vel affligunt, quò euidentius eorum vel felicitatem, vel miserias, & clades nobis referunt? at imagines & signa per aures ad animum demissa, sunt nomina. vt proinde etiam inter nomina Filij Dei, hoc iucundius efficaciusque ad mentes in sui amorem reuerentiamque commouendas cẽseri debeat, quod ipsius signum est, qua potest ratione quam amabilissimus nobis offerri. Sensit id B. Bernardus cum de hoc nomine post multa in eius laudem decãtata subiungit: Est mel in ore, in aure melos, in corde iubilus. Si nihil in se tale sentit meus Prædicans, nõ miretur; margarita, mannaq; absconditum est hic interior affectus, nec temerè proijcitur ante porcos. Vim istam efficaciamq; diuinam in repræsentando significandoq; habet, non apud mentes hæretica superbia dementatas, sed humiles, sed castas, sobrias q;, sed orandi contemplandiq; studio addictas.

De vi nominis Iesu supernaturali.

Verum enimuero, non omnis etiam vis nominis Iesu, est à ratione significandi, sed quædam insuper existit à diuina virtute ad nomen hoc inuocatum prolatumque concurrente propter Christi merita, salutemque humano generi allatam. Erexit Beatus Petrus Actor. 3. in nomine Iesu claudum: exegit Act. 16. è mulieris corpore in eodẽ nomine B. Paulus diabolũ. Insidias veneficorũ, lemurũ, dæmo-

dæmonum per nomen idem disiecerunt, B. Antonius apud Athanasium in eius vita. Christiani apud Lactantium lib. 4. c. 26. apud Iustinum Dialogo contra Tryphonem, similia & alij fecerunt. tota hæc erectio, exactio, disiectio à nomine Iesu profluxit, sed quà cum eo Deus vberiori suo gratioso; influxu propter insinuata pretiosissima salutis nostra lytra cooperari voluit. adeoq; etiam debuit ob promissionem eius qui dixit: quicquid petieritis patrem in nomine meo dabit vobis. Ioan. 4. Et in nomine meo dęmonia eijcient. Luc. 10. hoc ferè modo in illa zelotypiæ adiuratione & lege Torath Kina. Num. 5. operatus est in lege veteri, ita etiamnum ad Ecclesiæ preces & exercismos concurrit. Vide Tyræum in Apparitionibus. Rectè proinde August. lib. de Assumpt. c. 3. *Vocabulum* IESVS *gloriosum, omni ornatu cultuq; dignissimum super omnia nomina* (audisne hæc Prædicans?) *super omnia nomina elatum, non debuit ab hominibus imponi, nec ab his in mundum inferri.*

Sed calumniatur Prædicans, quod citatis Caluini verbis addita in thesi nõ sint hæc, quę apud eum sequuntur: *quasi vox esset magica, quæ tot am in sono vim habeat inclusam.* Expectabam vt laudaret Iesuitas, quod mendacissimam hanc Caluini calumniam prætermisissent: sed frustra hoc est; non albescit Aethiops, non etiam miteścit in Iesuitas Prædicans; obstinauit cum

cum Geneuensi suo mẽdaciorum architecto, audacter & constanter conuitiari & mentiri, superstitionesque magicas in honorando nomine Iesu de Catholicis in discipulorum suorum aures ingerere. Quid enim aliud quam decempedalia sunt hæc mendacia, ante Caluini, nunc vero etiam huius prædicantis?

Decempedalia mendacia Caluiniſtarũ.

1. *Nomen Iesus totam in sono vim habere inclusam secundum doctrinam Catholicam.* Vim habet & à Deo, ad nominati Saluatoris nostri honorem sæpe operante, & à ratione suę significationis, per quam ortum, vitam & passionem Christi domini & de morte, mundo, inferis triumphatoris, hominibus, angelis, Deo repræsentat.

2. *Christum ipsum commutatum à Papistis in nudum vocabulum, externumq; vocis sonum.* Vocabulum quidem Catholicis est vox Iesus, & planè vocabulum, sed quo salus nostra Christus, velut in imagine auriculari & signo agnoscitur honoraturq;.

3. *Opinione magica imbutum vulgus quasi diuina vis sit in vocabulo Iesus.* Magica opinio non est vim tribuere supernaturalem voci diuinitus allatæ, si hanc ei vim cum catholicis tribuas, quà est instrumentum omnipotentis Dei, qui operatur per illud Sathenæ contraria impossibiliaq; miracula.

4. *Vocem eam esse magicam, eò quod ad eam auditam flectamus genu.* Magica verba non sunt regum

gum principumq; nomina, quibus tamen auditis subditus assurgit honoremq; defert.

CAPVT II.

Caluinistas esse impios, quod IESVM nolint esse IESVM, & Saluatorem omnium.

2. Argum.

SEcunda ratio ibidem posita est: Summa est impietas docere Iesum non esse Iesum, id est eum, qui mundum saluum faciat à peccatis suis, at ita docét Caluinistæ. summè igitur impij sunt Caluinistæ. Prima propositio ex Gabrielis attestatione Luc. 2. & alijs Scripturæ sententijs est indubitata. Secundam propos. negat prædicans §. 7. sed quod id tutum satis non putaret §. 8. annectit; *circumspectè in hoc agendum*. Probemus igitur assumptionem: Caluinus vult Christum non venisse, nec esse mortuum, & meritum pro reprobis, vt docet Becanus cap. 4. disp. de prædest. part. 1. ex Caluino l. 3. Inst. c. 22. §. 10. & c. 1. disput. de auxilijs, ex 3. Institut. ca. 24. §. 13. estque hæc aliorum caluinistarum sententia. Quis autem negat reprobos spectare ad mundum? Venit igitur caluinianus Iesus, non vt saluet mundum, siue non vt illuminet, Ioan. 1. omnẽ hominem venientem in hunc mundum, sed vt clamet, ex Matt. 11. peruerso, nõ venite ad me omnes, qui laboratis & onerati estis, quia ego nõ reficiam vos.

Caluinistæ negant Iesum esse Iesum.

Iesus Caluinisticus nõ est mortuus pro peccatoribus reijciendis.

Sed

Sed reprobis prætermissis secundo probatur idem de Iesu caluinistarum quoad prædestinatos; Ille saluos nō facit à peccatis suis caluinistarum prædestinatos, qui peccatorum maculas, sordes, & vulnera ab ijs non aufert. At non aufert eas Iesus caluinianus à suis prædestinatis: ait enim Caluinus in antidoto concilij Trid. sess. 5 *Manet verè peccatum in nobis, neq; per Baptismum extinguitur, sed quia deletur reatus, imputatione nullum est* Et 3. Instit. c. 11. §. 2. *Iustificabitur ille fide, qui Christi iustitiam per fidem apprehendit, qua vestitus in conspectu Dei, non vt peccator, sed tanquam iustus apparet:* VVittakerus ad rationem 8. campiani martyris: *Neq; nos illius verbi pudet, quando iustitiam delicti occultationem dicimus.* Pareus prædicanti huic carissimus in thesibus de peccato; *Peccata in nobis non tolluntur, sed in iudicio Dei, id est, non imputantur.* Quod si ergo nec à reprobis, nec à prædestinatis caluinianus Iesus peccata verè tollit, quomodo verus Iesus, id est, mundi Saluator, & à peccatis redemptor esse poterit? quomodo agnus erit Ioan. 1. qui tollit peccata mundi? Quomodo propitiatio est pro peccatis nostris, non pro nostris autem tantum, sed etiam totius mundi, 1. Ioan. 3.

2. Argum. Caluinianus Iesus nō abstergit suorum electorum maculas & sordes.

Tertio caluinus vult suum Iesum oppositum iudicio Dei, non posse propriè loquendo Deum demereri, hoc est, vt ait, prædicans, §. 23. disputa. 2, *omnibus suis operibus & seruitijs*

3. Argum.

Chri-

Caluinianus Iesus pretio sanguinis suo pro peccatis nostris ad assem non satisfecit.

Christum hominem sibi obstringere non posse Deum: at talis Iesus, verus Iesus non est. Ille enim qui verus Mundi Redemptor est, redemptionem humani generis non gratis aut precario à cælesti Patre emendicauit, sed quod iustum fuit pretium pro ea persoluit, prout verè & propriè dicti Redemptoris ratio exigit. vnde 1. Petri 1. *non corruptibilibus auro & argento redempti estis, sed pretioso sanguine quasi Agni immaculati Christi, qui dedit semetipsum pro nobis, vt nos redimeret ab omni iniquitate & mundaret sibi populum acceptabilem.* Ad Tit. 2. 1. Cor. 6. *Empti estis pretio magno.* Similibus plena est Scriptura sententijs 1. Cor. 1. Gal. 3. Ephes. 1. 1. Coloss. 1. 1. Timot. 2. 2. Cor. 5. Hebr. 9. & alibi. Adde quod pretium illud non iustum modo, sed & copiosum appellet. *Copiosa enim apud eum redemptio,* Psal. 129. & Rom. 5. *vbi abundauit delictum* (propter demeritum primi Adæ) *superabundauit & gratia* (ex merito & obedientia Christi).

Concludat iam qui volet, si legitimè rationem subduxerit, non aliud, quam Caluini Iesum, non esse verum Iesum colliget. Et licet Prædicans torqueat Caluini testimonium, cui prima innititur sumptio; parum tamen id eum in contextu verborum planissimo adiuuat. Pensemus enim Caluini verba, qui hanc quæstionem auctuarij vice sibi objcit initio cap. 17. 2. Instit. An per merita Christi salutem consequamur, ita vt author vitæ, dux & Princeps

ceps sit Christus, vel an eam obtineamus per gratiam Dei, ita vt salutis ad nos deriuandæ instrumentum duntaxat & minister sit Christus: Respondet ad hanc: *Equidem fateor, si quis simpliciter & per se* (exclusa gratuita operũ Christi acceptatione apud Deũ) *Christũ* (Deũ ac hominẽ, vtrũq; enim vox hæc cõplectitur) *opponere velit iudicio Dei* (quasi merito suæ passionis Dei iustitiæ exactè satisfecerit, vel satisfacere potuerit, p peccatis) *nõ fore merito locũ* (nõ dicẽdũ Christi crucẽ obedientiamq; vsq; ad mortem, promeruisse peccatoribus salutem, de qua instituta est quæstio). Et vide rationem huius Caluinianæ sapientiæ, *quia non reperietur in homine* (diuina & infinita subsistentia subsistente, & ab ea infinitam dignitatem trahente) *dignitas, quæ possit Deum promereri.* hic germanus eius loci est sensus; cui nihil obstant, quas Caluinus concionabundus digressiones subijcit, de dilectione qua Deus prior dilexit nos, & misit filium suum vnigenitum in hunc mundum: vel quas Prædicans excusationes corradit §. 22. & 23. à dignitate merè humana, & homine quà homo est, quia vt ista dilectio prior, nihil derogat merito, quod ea suppositâ per actus proprios conquiritur: Ita cum Caluinus ait: in homine, Christum hominem intelligit gratia vnionis subsistentiæque donatum, in eoq; vt talis est homo, negat sufficientem esse dignitatem ad promerendum.

Iesus Caluinianus non habet dignitatem infinitam Caluino.

CAPVT III.

Reiectio subterfugiorum prædicanticorum.

1. Effugiū. AD probationem primam huius secundi argumenti respōdet prædicans §.8. posse dici Christum impœnitentes *sufficienter saluare, tum propter pretium obedientiæ pro nobis præstitæ, tum propter infinitam eius potestatem efficiendi quidlibet, tum propter gratiosam voluntatem.* Sed nequaquam hæc à Catholicis mutuata ad Caluinum tuendum satisfaciunt. mitto enim iam quod paulo ante excussi, in homine Christo, non reperiri dignitatem sufficientem ad redimendos nos ex sententia Caluini & Prædicantis: Illud vrgeo, veri Iesu & mundi saluatoris esse, omnibus, peccatoribus æquè ac iustis, reprobis non minus quam prędestinatis gratiam sufficientem hoc in mundo offerre, qua adiuti possint, si velint, operari bona, & defugere malum, secundum illud 2. Timoth. 2. *hoc enim bonum & acceptum est coram Saluatore nostro Deo, qui omnes homines (bonos & malos, Græcos & Barbaros) vult saluos fieri, stans ad ostium* Apoc. 3. *& pulsans, vt si quis audierit & aperuierit, intret & cœnet cum illo, non volens aliquos perire, sed omnes ad pœnitentiam conuerti.* 2. Pet. 3. Atqui id non facit Iesus Caluinisticus, qui Euclione auarior, nulla vocantis ad pœnitentiam gratiæ dona, nulla iustificantia pœnitentem Charis-

Refutatio.

Verus Iesus venit vt saluet omnes peccatores.

mata

mata Spiritus sancti impertit, si præuideat aliquem cum Iuda Iscariote, alijsq; qui ad extremum lapsi sunt, ea decocturum. Prodidit hoc Christi sui decretum Caluin. 3. Instit. cap. 24. §. 13. *Cur ergo gratiam illis* (prædestinatis) *largiendo, hos* (reprobos) *prætermittit* Caluinianus Antichristus? *De alijs rationem reddit* (Caluino) *Lucas, quia ad vitam sunt ordinati: de alijs ergo quid sentiemus, nisi quia sunt vasa iræ in cõtumeliam?* Vides Prædicans quid in responsione tua declinetur? Proprius & formalis actus siue effectus voluntatis fuit in vero Iesu, quo voluit omnium hominum salutem, non eorum tantum, qui reipsa erant saluandi, sed etiam eorum, qui sua culpa erant damnandi, quibus benignè sua ex parte etiam media gratiamq;, dum viuunt, impertit, iuuatque subinde, vt opera bona faciant multa, deque peccatis humilientur & conterantur cum Achab, esto in contritione illa gratiaque non perseuerent. Non hæc tuus facit IESVS Caluinisticus, vt propterea IESVS non sit. Quod autem Franciſci Puccij blasphemum dogma pro errore tertio Iesuitis tribuis, in eo quam sis impudens calumniator, & mendax omnibus intelligentibus ostendis. Si scire exoptas, quid de isthoc homine Iesuitæ senserint, vide præter alios Nicolaum Serarium ipsum cõfutantem.

Christus etiam eos qui pereũt cupit saluos.

Ad secundum non tam respondet §. 9. 10. 11. & seq. vsq; ad 19. quam cõuulsis sanę mentis repagulis furit. Exclamat enim admodum tragicè & tauricè §. 9. *Si hæc antithesis extat in Caluino* (ille enim agnus est nõ qui tollit, &c.) *continuo manus dabimus, hoc est, illum magnæ blasphemiæ reum fatebimur; si verò nusquam extat mendaces, calumniatores habeantur Iesuitæ, & simul ad palinodiam adigantur. Nam nihil hic durius in ipsos statui postulabimus, quod tamen ex lege talionis facere possemus.* Et §. 10. *Certè si saltem politicè probi essent Iesuitæ, tam luculentum mendacium in ruborem ipsos daret.* Quid agis mi Prædicans? Eho quid adeo ferocis? quid tam impotenter in Iesuitarum famam grassaris? Ne ita debaccheris, quasi furiosum Orestem nobis *velis* iterũ in scenam producere. Consídera te ducem esse Verbi & superattendentem. Cedo, quid habes, in quo Iesuitæ tibi peccârunt? quid palinodia, quid Talionis lege, quid viro politicè improbo dignum in te admiserunt? Te appello Prædicans, confer pedi pedem: age quid est, cur omnem tuam bilem Caluinisticam & artem calumniandi in Iesuitas effundas? Nego vspiam ab ijs scriptum, nego vel vnico iota insinuatum in thesibus antithesin illam verbatim è Caluini scriptis desumptam esse. Quid contra hæc blateras? doce vbi asseruerint, hæc Caluini esse verba, aut si docere id non potes, ad cañedam palinodiam, ad subeundam talionem,

Prædicans furit & Iesuitas negat esse probos politicè.

Prædicans se ipse ad palinodiã cõdemnat

Vorstius politicè non probus.

ad

ad improbi hominis infamiam sustinendam (quæ omnia intentas Iesuitis) te ipsum tuo ore condemna. Expresserunt totam antithesin charactere, quo in omnibus thesibus verba ipsius authoris alia, fuerũt excusa: subiecerunt præmissæ antithesi testimonia Caluini, idque typis diuersi, vt cuiuis in promptu esset discernere Caluinistica oracula, à verbis authoris; locum in margine ex Caluini libris ad suam antithesin ascripserunt nullum. Vnde igitur hoc tuum delirium, vt vocifererisIesuitas hanc antithesin Caluino, quasi in eo conceptis verbis posita sit, tribuisse? Collige nonnihil animum tuum, & quibus oculis §. 76. disp. 2. calumniam illis struere conatus es ex diuersitate typorum, ijsdem hic aspice dissimilitudinem characterum.

Sed ad rem. Tota antithesis in 9. thesi posita ostendit, Iesum Caluinistarum non saluare, nec iustificare peccatores verè & reipsa delendo, abluendo, tollẽdo ab ijs peccatum, sed tantum non imputando illud ad mortem & damnationem, propter iustitiam Christi fide apprehensam, qua hœdinis quasi pellibus fœtidus peccator obtegitur. Nonne hæc est vna omnium tuorum Caluinistarum & tua ipsius doctrina in Enchiridio controu. parte 4. de Iustificatione propos. 11. Audisti suprà ex tuo Pareo, *peccata in nobis non tolluntur*: Ex VVitakero, *iustitiam delicti occultationem esse*: Audi

Peccata nõ tolli, sed tegi Caluinistis.

iam catechismum Palatinum, qu.36. *Christus mediator sua innocentia & perfecta sanctitate nostra peccata tegit, ne in conspectum Dei veniant.* Et q.126. *Remitte nobis debita nostra, id est, omnia peccata nostra, quæ in nobis etiam nunc hærent, propter Christi sanguinem ne imputes.* Ecce non tolli peccata, ait Pareus, sed tegi, explicant Heidelbergenses: Non deleri, ait Catechismus Palatinus, vt quæ etiam nunc hæreant, sed occultari indicat VVittakerus. Si verba antitheseos requirebas, en quam facilè ea apud tuos inuenire poteras, aut si tantæ lectionis non eras: ecce quã nullo negotio, & ea ipsa & alia lõgè plura antitheta construere quibas ex phanatica tua tuorũq; hæresi, de iustitia imputatiua, peccatiq; in corpore nostro cõtinuata habitatione.

Nec moramur quod anxiè laboras ex Caluino docere ipsum quãdoq; etiam his vti vocabulis, vt dicat tolli, deleri, ablui, &c. peccata; quia nouimus logodædalum & Sophistam illum veteratoriè in verbis ludere, & illudere populo. Neq; enim verè vult tolli ipsum peccatum, sed peccati reatum, & pœnam inferni. Sic enim in antidoto Conc. Trid. sess. 5. *Manet verè peccatum in nobis, neq; per baptismum,* (Sacramentum à Christo institutum, vtq; est signum inuisibilis gratiæ) *extinguitur, sed quia deletur reatus* (pœna ei condonatur) *imputatione nullum est.* Idem & tu ipse non diffiteris §. 11. volens *reatum eius aboleri, & præter eum regimen & imperium*

rium peccati, in mortali corpore extingui, licet aliquatenus in eodem habitare pergat. Et §. 13. *Tantum abest,* ais, *vt Deus peccata non tollat, quia tegit, vt etiã tegendo tollat, hoc est reatum illorum cõdonando, seu pœnas cõmeritas auferendo.* Secundum tua igitur etiam principia, manet in homine peccatum ipsum, sed cõdonantur ei pœnæ propter peccatum commeritæ: Atqui aliud est peccatum siue culpa, aliud reatus siue peccati pœna. Ex peccato enim vt radice, nascitur reatus, & homo reus constituitur pœnæ peccato debitæ. At non ex condonata pœna consequitur illico abolitio ipsius culpæ. Cętera argumenta & parerga Prędicantis, tanquam pretiosi temporis dispendia fusius non comsectabor.

Caluinistis nõ peccatũ sed pœna peccati remittitur & auferrtur.

De Caluinistarum Christo.

THESIS DECIMA.

CHRISTVM. *Christus idem valet quod vnctus: putatur Regem, cuius regni non erit finis;* Luc. 1. *in Sacerdotem in æternum, secundũ ordinem Melchisedech;* Psal. 109. *in Prophetam, in quo omnes thesauri sapientiæ & scientiæ Dei sunt absconditi,* Coloss. 2. *& super quẽ floris instar ascendentem de Ießæa virga, requieuerit spiritus Domini, Spiritus sapientiæ & intellectus, Spiritus consilij, & fortitudinis, Spiritus scientiæ & pietatis Esa. 11. Nihil minus, quàm talis Christus est Caluinianus. Rex ille est, sed cuius regni erit finis.* 2. Instit. cap. 14. §. 3. temporale enim imperium ei à Patre mandatum est, donec facie ad faciem conspicua sit diuina eius Maiestas.

Sacerdos ille est secundum ordinem Melchisedech; sed qui panem & vinum nunquam, ne quidem in nouissima cœna, post peractam consecrationem siue benedictionem obtulit. 4. Instit. cap. 18. §. 2. Colligunt *Romanenses, inquit,* panem & vinum fuisse præludium Missæ suæ; ac si inter Melchisedech & Christum similitudo esset in panis & vini oblatione, quod magis ieiunum ac friuolum est, quam vt refutatione egeat. *Propheta natus est; sed sine Sapientia, scientia & diuinitatis (magis coniunctæ humanitati Christi; quam beatis in cœlo) visione. Palam est Caluino* in cap. 2. Luc. 5. v. 40. & ca. 24. communem Christo ignorationem cum Angelis *tribui. quare etiam* ter & quater insanus ille (in cap. 24. Matth. 36.) foret, qui se grauatim ignorantiæ subijceret; quam ne ipse quidem Dei filius *nostri* causa subire renuit, *maximè cum ita ignorauerit vt disceret ipse ac erudiretur more hominum.* Nicolaus Gallasius in lib. 2. Iren. cap. 49.

THESIS VNDECIMA.

QVid vero sub ferula Caluini didicit quod antè nescierit? Permulta. Nam quod quidam existimant (in cap. 9. Matth. v. 2.) Christum diuinitus conscium fuisse baiulantium fidei, quæ occultè intus latebat (Caluino) coactum videtur. Nihilq; absurdi est in cap. 21. Matth. v. 18. si dicamus secundum hominem speciem arboris fuisse illi incognitam; *esto eam è foliis cognouisset,*

nouisset, non Salomon, vel Theophrastus tantum; sed etiam rusticulus aliquis è Iudæa. Ex nescientia hac interiore multiplices in verba Christi profluxere absurditates, vt sunt: responsio Christi ad Nathanaëlem in 1.cap.Ioan.v.48.quę parum videtur apposita: *sermo Christi ad Nicodemum de regeneratione* qui longè petitus & intempestiuus *videtur* Ioan.3. *Similitudines diuersæ, quibus ad illustrandas res vtitur:* illa enim similitudo cribrandi nõ omni ex parte quadrat in cap.22.Luc. *alia, qua vsus est, apud eundem Euangelistam cap.16.* dura est & longe petita. *quin etiam* paulo durior est Metaphora, dum salem nominat in cap. 9. Marci, quicquid salsum est. *Nec, quam adhibet apud Matthæum,* in cap.22. Matth. videtur quadrare partitio; quia propriè loquendo, dum officio defungimur erga homines, obsequium hoc Deo impendimus. *Quantuscunq; sit veritatis magister vnigenitus sapientissimus cœlestis patris; in Caluini schola Grammaticus est non bonus; Rhetor longè peior; sed omnium pessimus Dialecticus. probaturus namq;* in cap.9.Matth.vers. 5. *se peccata remittere, paralytici curati in corpore exemplo, Caluino* videtur parum solidè ratiocinari Christus. *Occursurus calumniæ quod in Principe Dæmoniorum eiiceret dæmonia,* videtur, *ait,* in ca.12. Matth.v.25. parum solida esse refutatio. *Infert Christus* Matth. 7. *omnia ergo quæcunq; vultis vt faciant vobis homines.* Superuacanea est, *ait,* illatio. *Deniq; hoc esto è tripode Geneuensi oraculum:* Memoria te-

An hæ citationes sint iustæ videat infra.

nendum est vulgo receptis prouerbijs, ita vsum esse Christum, vt tantum essent probabiles coniunctura, nō autem solidè probarent, in cap. 2. Matth. & Luc. 5. Viden' vt admirentur turbæ (Caluinianæ) super doctrina eius; *cap. 7. Matth.* vt stupeant in doctrina eius, quia in potestate erat sermo ipsius; Luc. 4. vt suspiciant verba duodennis in medio Doctorum? *Luc. 2.*

CAPVT IV.

Regnum Christi Caluinistici habere finem.

TRia in thesi argumenta sunt perspicuè deducta, demonstratumq; est apodicticôs, Caluinistarum Christum esse achriston, & nō Christum pijs appromissum. Primum est; de vero Christo dictum est ab angelo Gabriele; *Hic erit magnus & filius altissimi vocabitur, & dabit illi Dominus Deus sedem Dauid Patris eius, & regnabit in domo Iacob in æternum, & regni eius non erit finis. Luc. 1.* quin ipse etiam de seipso Psal. 2. *Ego autem constitutus sum rex ab eo super Sion montem sanctum eius.* at hæc non quadrant in Christum caluinistarum, vt qui Rex non sit in æternum, aut si rex quidem sit æternus, à die tamen Iudicij extremi, rex futurus sit sine regno. Hæc sumtio ex claris caluini verbis 2. Instit. c. 14. §. 3. clarissimè probata est. Ait enim: *Christo tem-*

Verus Christus vnctus est in Regē æternum.

At nō Caluinistarū Christus.

Ratio.

temporale imperium à patre mandatum est, donec facie ad faciem conspicua sit eius maiestas; Cui adeo nihil decedet imperium Patri reddendo, vt longè clarior emineat. Nam & tunc desinet caput Christi esse Deus, quia Christi ipsius Deitas ex seipsa fulgebit, cum adhuc velo quodam sit obtecta. Respondet ad hoc testimonium Prædicans, & quasi sphynx fuerit Caluinus, ipse vero sit Oedipus quidam Caluinoprædicanticus, *per imperium temporale intelligi illud, quod mediatoris est proprium & exercetur per verbi ministerium* ita §. 27. Sed Daui alicuius, non Oedipi hoc responsio est, nõ è caluini, sed Prædicantis cerebro procusa. Agit caluinus (vt primis paragraphi illius verbis innuit) de locis Scripturæ, quæ ipsi clarissimè ea, quæ pertinent ad verã Christi substantiam enarrant, & vtramq; simul naturam comprehendunt: in ijs autem vult esse; potestatẽ Christo datam à Patre remittendi peccata; suscitandi quos velit; largiendi iustitiam, sanctitatem, salutem; iudicandi viuos & mortuos; vtq; honoretur quemadmodum & Pater. Eundem in sensum vult Christo datam potestatem & imperium summum, vt corã ipso flectatur omne genu, hoc vero imperium peracto iudicio contendit à Christo reddendum Deo Patri, ita vt tunc & nomen ipsum, & coronam gloriæ, & quicquid à Patre accepit, Patri subiecturus sit, eaque deinceps gloria contentus futurus, qua potiebatur ante mundũ conditũ. Nõne hic est, Prædicãs, totius isti⁹ paragraphi sen-

Resp. Prædicantis.

Refutatur.

sensus? Nonne hæc sententia verborum antecedentium ea, quæ posita sunt in thesi, & iam repetiuimus? Etiam atq; etiam Caluinum tuum relege, non alia apud ipsum eo loco notabis. At non hoc est loqui de imperio per prædicanticum ministerium exercito. Reddet imperium, ob quod flectitur omne genu, id est, vt non frigidè tuo iudicio interpretatus es §.6. Disp.2. reddet gloriam & maiestatem suam, vniuersumq; cultum religiosum (id enim tibi per genuflexionem intelligitur) à se reijciet. Atqui hoc est, non regno tantum suo Christum spoliare, sed inglorium etiam post diem iudicij constituere ex Caluini propriaq; sententia. Rursum Caluini Christus contentus erit ea gloria, qua ante mundum constitutum potiebatur; at ea gloria est solius diuinitatis propria. Reliqua igitur regia potestas & gloria data illi in cœlo & terra, post mundum conditum, impletumq; incarnationis & redemptionis mysterium, in eo euacuabitur. Deinde & nomen ipsum & coronam gloriæ, & quicquid à Patre accepit, Patri subijciet, ait Caluinus. Estne hoc idem, quod imperium Prædicantici ministerij Patri tradet? vel formam tantum præsentem mutabit? Deniq; quo spectant ista? *reddendo imperium Patri, nihil eius Maiestati decedet? tunc desinet caput Christi esse Deus, quia Christi Deitas ex seipsa fulgebit?* An reddit imperium, qui ministerium linguæ, vel formam

Christus Caluinista zum erit inglorius post iudicium extremum.

mam: tantum præsentem immutat? aut reddendo imperium, aliquid eius Maiestati decedere timendum est, qui id in excellentius commutat? An desinere potest caput Christi esse Deus, vel propter prædicanticum imperium redditum, vel propter formam regni mutatam? Hæc si Caluinum de cuius verbis agitur, tueri velis, sunt expendenda tibi Prædicans, non alia ex tuo penu proferenda, vel è Catholicorum libris corroganda: qui verba Pauli 1. Corinth. 15. (cum tradiderit regnum Deo Patri) optimè interpretantur de Ecclesia militante, quam post exactum iudicium nouissimum omnibus numeris prædestinatorumq; collectione absolutam, & iam purgatam ac purpuratam pretioso suo sanguine tradet, offeretq; Deo & Patri carissimus filius, non quod antè Deo & Patri non fuerit subiecta Ecclesia, sed quod tum demum erit cõsummata, quodque conspectâ clarè diuina essentia, ita Deo sit subijcienda, & coniungenda, vt non iam amplius rebellio carnis aduersus legem Dei sit futura in electis, sed ipsi in Deo & Deus in ipsis sit habitaturus & perfectè regnaturus clara visione Deitatis omnes in sui amorem potentias animæ trahente. Tradere igitur regnum, est, Ecclesiam consummatam & perfectè subiectã Deo Patri offerre. Neque tamen tradendo regnum, hac ratione se eius imperio exuit, vt Caluinus delirat, sed manet

eius

eius caput, princeps, Rex, sicut prius extitit, vt cuius regni non sit finis.

Verus Christus est vnctus in sacerdotem æternũ Melchisedechicum.

Secunda ratio est: de vero Christo per regium Prophetam dictum est Psalm. 109. *Tu es Sacerdos in æternũ secũdum ordinem Melchisedech.* At caluinistarum Christus non est Sacerdos in æternum, &c. Caluinistarum igitur Christus verus nõ est Christus. Minor probatur, Sacerdos secundũ ordinẽ Melchisedech quà sacerdos, debet habere sacrificiũ Melchisedechicũ, *omnis enim Põtifex* (Sacerdos) *ex hominibus assumptus, pro hominib. constituitur in ijs quæ sunt ad Deũ, vt offerat dona & sacrificia ꝓ peccatis.* Heb. 5. Suntque hæc tria, Templũ, Sacrificium, Sacerdos, vt ait B. Augustinus. Ep. 49. q. 3. se cõsequentia. Atqui sacrificium *illud Melchisedechicum* nunquã habuit caluinistarũ Christus; neq; enim (vt in thesi clarum est) eorũ Christus panem & vinum vnquã Deo obtulit, ne quidem in nouissima cœna: ꝙ tamen fecisse Melchisedech, & sacræ literæ, & veteres Doctores testantur. Sic enim Gen. 14. *Melchisedech Rex Salem proferens panem & vinũ (erat enim Sacerdos Dei altissimi) benedixit ei.* Ad quem locũ alludens Clemens Alex. l. 4. Stromatũ, ait, *Rex Salem Sacerdos Dei altissimi, qui vinũ & panẽ sanctificata dedit nutrimẽtum in typum Eucharistiæ.* Nec abludit Chrysost. Hom. 35. in Genesin, volens illum panem & vinum fuisse figuram Eucharistiæ. Assentitur Augustinus. 16. de ciu. c. 22. scribens ibi primũ apparuisse

Caluinistarũ Christus non est vnctus in Sacerdotem æternum Melchisedechicum.

ruisse Sacrificium, quod à christianis offertur Deo. Eadem cõcors est sententia veterũ, adeo vt calu. in c. 9. ad Hebr. dicat: *nihil moror, quod sic loquuntur vetusti scriptores.* Adfert eos Suarez tom. 1. in 3. D. Tho. disp. 46. Sect. 4. additis etiã Rabbinis, qui textus euidentia conuicti, idem sunt cõfessi. Eosdem adducit Bellarm. li. 1. de Missa c. 6. Ad horũ authoritatem, & ab Apostolis deriuatã doctrinam prædicans cõsulto cõsilio obmutuit, cæteroqui cicadis vocalior.

At notat cõtradictionem Iesuiticam, §. 29. puta quod velint offerri panem Melchisedechicum, & eundem offerri nolint, vt qui negent panẽ remanere in Eucharistia. Omnino vt cætera, ita etiã hoc argutè, sed argutia planè prædicãtica & bœotica. Volunt Iesuitæ in nouo testamento offerri panẽ Melchisedechicũ, id est, eũ ipsum quẽ prefigurauit oblatiõe sua Melchisedech: nempe panem Angelorũ, corpus & sanguinem Christi. Ijdem panem offerri nolunt: nimirum coctum à pistore, sed sub panis specie christũ Dominum. Sed pergit Prędicãs, Apostolus Heb. 7. nõ meminit huius sacrificij. Respondeo, nõ meminit, primò, quia eius mẽtio nihil ad institutum Apostoli fecit, vt cui propositum fuerit, christi eminentiam præ Sacerdotib. Aaronicis colligere ex eminentib. Melchisedechi prærogatiuis; at inter illas eminentias nõ erat, offerre panem & vinũ; pane siquidem nobiliores victimas taurorũ & arietũ immolabant Aaronici Sacerdotes.

Subtilitas prædicantica.

Obiectio prædicantica. Sol.

Vnde

Vnde si Apostolus Melchisedechici sacrificij memoriam Hebræis renouasset, argumentum ijs contra se præbuisset: Dein eius mentio cōsulto ab Apostolo prætermissa fuit, quod (vt monet D. Hieronymus ad Euagrium in epist.) de hoc mysterio sermo grādis & ininterpretabilis sit ad dicendum, prout ipse Paulus cap. 5. loquitur, quodque Hebræi imbecilles facti sint ad audiendum tanta mysteria, lacteq; magis & intellectu facilibus (cuiusmodi sunt quę collegit Apostolus) opus habuerint, quam cibo solido, hoc est incomprehensibilibus fidei Christianæ articulis, de Trinitate in vnitate, & vnitate in Trinitate, de panis in corpus Christi conuersione, de quotidiana Christi incruenta oblatione, alijsq; non dissimilibus: Incruentam cum dico oblationem, maledicentiam Prædicantis reprimo, qui, quæ Apostolus de cruento Christi sacrificio dicit, malitiosè rapit contra incruentum. Huiusmodi sunt in cap. 9. *Christus semel oblatus est* (scilicet in monte Caluariæ cruentatus & trucidatus crudeliter) *ad multorum exhaurienda peccata.* At quin sæpius offerri possit modo incruento non ibi negatur vētatúrue. Simili modo depraua illud ex cap. 7. vbi dicitur: *Plures facti sunt Sacerdotes* (summi Pontifices Aaronici, æqualis potestatis suis præcessoribus) *quod morte prohiberentur permanere. Hic autem quod maneat in æternum sempiternum habet Sacerdotium.*

Hoc

Hoc est: solus Christus perpetuo est manetq; supremus omnium summusq; sacerdos. Sed quia summus non est, vbi non sunt inferiores, necesse est, vt sint plures præter eum alij noui testamenti Sacerdotes, qui nouæ legis in Ecclesia offerant sacrificium, missasque celebrent.

Tertia ratio. In verum Christum conuenit illud Isaiæ cap. 11. *Egredietur virga* (virgo Maria) *de radice Iesse*, *& flos* (Nazaræus Christus Dominus) *de radice eius ascendet, & requiescet super eum spiritus Domini, spiritus sapientiæ & intellectus, spiritus consilij & fortitudinis, spiritus scientiæ & pietatis, & replebit eum spiritus timoris.* Et illud Coloss. 2. *in quo sunt omnes thesauri sapientiæ absconditi*, ita vt verè vnctus sit secundũ animam omni scientia beatifica simul & infusa; naturali æquè ac hyperphysica. At non hæc quadrant in Caluinistarum Christum, vt qui nec spiritum scientiæ, nec sapientiæ, statim atque è purissimo virginis sanguine, velut virga radicis Iesse formatus est, acceperit. Caluinistarum igitur Christus non est verus Christus. Huius argumenti vis, vt distinctius intelligatur, diuersas in Christo scientias distinguamus. Prima, quæ in Christo scientia fuit, est increata prorsusque diuina, quam vt Deus ab æterno, & priusquam homo fieret possedit, & per quam natura Christi diuina omnia omnino perspexit. Secunda in Christo scientia

Verus Christus est vnctus Spiritu sapientiæ, &c.

Variæ scientiæ in Christo.

M est

est beatifica, qualis ad beatas in cœlo mentes ex claro diuinæ essentiæ intuitu redundat. De hac Ioannis 1. *Vidimus gloriam eius, gloriam quasi vnigeniti à Patre plenum gratia & veritatis.* Veritatis vtiq; quæ vnigenitum à Patre, quæ beatorum Angelorum hominumque caput, quæ mysteriorum hac in vita incomprehensibilium Doctorem perfectissimũ scientissimumq;, quæ hominem Deo ratione hypostasis, magis coniunctum Thronis, Cherubinis, & Seraphinis, decebat. Huius scientiæ præcellentia vniuersum hoc quod Deus videt scientia visionis, vidit anima Christi ab initio conceptionis. Tertia est infusa à Deo, cuiusmodi & angelicis turbis initio suæ creationis, & primo parenti Adamo in paradiso, & prophetis diuinitus ac Salomoni fuit cõmunicata. Hanc etiam vt caput angelorũ, vt propheta prophetarum, vt sapientissimis sapientior suo sibi iure Christus vendicauit. Quarta est acquisita, sic dicta, quod ordinariè paretur, vel propria inuentione, vel magistrorum institutione, per quam rerum causæ & effecta dignoscũtur. Huius generis sunt Logica, Physica, Mathesis, Ethica, Metaphysica, & id genus disciplinæ, quæ labore plerumq; pariuntur. Quinta est experimentalis, per quam non ipsa in se scientia sed eius habitus, quoad vsum scientiæ praxinq; crescit, de hac illud Luc. 2. *Iesus autem proficiebat sapientia & ætate, & gratia apud Deum & homi-*

homines. Proficiebat enim non secundū ipsum habitum sapientiæ vel scientiæ, sed secundum eius effectum, habitu magis magisq; cum ætate se exerente & exercente: quomodo in pueris cum ætate crescere dicitur intellectus, non quod ipsa crescat intelligēdi potētia, sed q̄ superuenientibus melioribus cerebri dispositionibus vis intellectrix se magis exerat & ostendat. Ex his quinq; scientiarum generibus, quatuor primis Christum ab ipso vitæ exordio fuisse à spiritu S. vnctum Doctores catholici asserunt. Caluinus verò, si excipias primam, Christo ex alijs relinquit nullam. At negat id Prædicans, dicitque §. 32. Caluinum Christo etiam adhuc in vtero latenti, tribuere infusam beatificam q; scientiam, negare autem acquisitam & experimentalem, vt in qua paulatim profecerit. Sed longè in eo à Magistri sui discedit opinione, vt iam iam demonstrabo.

CAPVT V.

In Christo Caluinistico non fuisse scientiam beatam nec infusam.

DE Caluini hoc in loco sententia agitur. Ex eo igitur ostendendū in Christo viatore mortaliq; corpore circumdato, nō fuisse scientiā, quæ inest beatis. Sed nihil opus lōgè quæsitis, ita ratiocinamur apertè. Primo, in

quo est fides, in eo visio beata non est: At in Christo caluiniano, dum vixit fides fuit. Nihil hac sumptione in Caluino manifestius. Sic enim ad 4. Matth. commentatur. *Sathanam retè aggressum fuisse Christi fidem, vt ea extincta ad illicita impelleret*, Et ad cap. 26. eiusdem. *Quamquam sensus carnis (Christi) exitium apprehenderet: fixam tamen stetisse fidem in eius corde.* Similia in cap. 27. v. 46. & 50. habet, vt proinde scientia visioq; beatifica in eo esse non potuerit. Prima autem syllogismi propositio etsi nota sit è terminis, ita tamen adhuc amplius potest declarari: fides est credere quod non vides, vt pulchrè D. August. tract. 40. in Ioan. inquit, vel vt Apostolus ait, ad Hebræos 11. est argumentum οὐ βλεπομένων, non apparentium. At scientia beata non credit, quod nó videat, sed videt in verbo æterno, quod dum peregrinamur, fides nostra credebat. *Videmus nunc per speculum in ænigmate* (per fidem) *tunc autem* (in visione beatifica) *de facie ad faciem* (clarè videbimus) 1. Cor. 13. *Cum autem venerit quod perfectum est* (scientia beatifica) *euacuabitur quod ex parte est* (fides obscura). Nisi igitur idem ab eodem intellectu Christi Caluiniani simul tempore fuerit visum & non visum, eidem exiterit apparens & nó apparens; simul in eo cum fide visio beata consistere non potuit. Secundo, idem cum ex alijs in thesi 10. & 11. positis, tum ex illo Caluini ad cap. 9. Matthæi satis liquescit,

Christus Caluin. habet fidem, non autem claram visionem.

Christus Caluin. & videt non videt.

quesit, vbi ait: *Quod quidam existimant* (Doctores) *Christum diuinitus* (scientia diuinitus infusa, qua prophetæ absentia secretaq; cordis penetrârunt) *conscium fuisse baiulantium paralyticum fidei, quæ occultè intus* (in corde) *latebat*, & (vt initio loci illius loquitur) *cuius solus Deus* (non homo vllus, & proinde nec homo Christus) *est cognitor, mihi coactum videtur*. Eodem spectat illud ad 21. Matth. *Difficultas est*, inquit, *quomodo deceptus fuerit Christus, fructum in arbore vacua quærens. Sed nihil est absurdi, si dicamus secundum hominem speciem arboris fuisse illi incognitã*. Quod si in homine Christo scientia beata infusaque fuisset, etiam secundum hominem humano intellectu per eas scientias arborem cognouisset, prout ex descriptione harum scientiarum perspicuum est. Tertio ad idem facit retorta in prædicãtem ipsius ratiocinatio. Vrget ipse §. 34. disp. 2. *Christum carnem & sanguinem verè participasse: Item fratribus suis per omnia similem factum, excepto peccato, & proinde eum etiam, vti alios mortales scientijs acquisitis caruisse*. At eadem ratione vrseris; Christus Caluino & prædicanti fratribus suis per omnia similis fuit. ergo etiam, vt alij mortales scientia beatifica & infusa caruit; aut si hæ scientiæ, similitudinem Christi & fratrum per omnia non impedierunt Prædicãti, quid est, cur acquisititias physicam, ethicam, logicam ei obesse existimemus? cur & eas tanquam secundus Adam ab

Christus Caluinianus humano intellectu & scientia beata non agnoscit fidem baiulorũ.

Christus Caluin. decipitur in ficu dignoscenda.

Christum per omnia similẽ esse fratrib. est eũ similem esse in ignorantia.

ortu, vel vt verisimus Salomon & sapientissimus, non potuit habere diuinitus, & nihilominus similis in natura substantiaq; humana fratribus permanere?

CAPVT VI.

Christus Caluinisticus proficit in scientijs & liberalibus artibus.

HAeret aqua in quæstione de acquisititijs Christi scientijs meo Prædicanti, & quasi lupũ teneat auribus, vix quid sequatur sufficienter declarat. §. 32. ait, *acquisitam & experimentalem Christi, qua hominis, scientiam suis quibusdam gradibus paulatim profecisse, nec statim ab initio numeris omnibus perfectam fuisse.* Eadem repetit in sequentib⁹ copiosius addẽs §. 40. *eum quamdiu mortalis fuit pro ratione ætatis & sapientia & alijs id genus Spiritus S. donis reuera profecisse.* At §. 46. Et Grammaticum, & Rhetorem, & Dialecticum, adde Philosophum perfectũ fuisse contra thesin 11. contendit, nec ferre potest §. 36. quod dicatur Christus Caluino permulta didicisse. Primo, haud possunt cohærere hæc inter se: proficere pro ratione ætatis, est cum ætate in dies aliquid addiscere. Hoc vero aliquid pro annorum, mensium, adeoq; dierum multitudine & ingenij fœlicitate multiplicatũ efficitur multa. At Prædicãti etiã nõ didicit multa, didicit igitur & non didicit multa. Iterum,

Christus prędicanti acquirit scientias paulatim.

Contradictio prædicantica.

rũ, nõ esse omnib⁹ numeris perfectũ Dialecticũ Physicúmue, est nonnulla ignorare in Dialecticis & Physicis. nescivit igitur nõnulla in Dialecticis alijsq; scientijs Caluinianus Christus meo prædicanti. At eidem creditur Christus dialecticorũ omnium præcellentissimus. Aduersa fronte isthæc pugnant; præterquam quod impiũ est, dicere, Christum in scientijs paulatim profeciisse. Si enim profecit in Grãmaticis, Rhetoricis, Arithmeticis, Geometricis, alijsq;, quæro quo ętatis ano ad eas discẽdas primum animũ appulit. Luc. 2. stupent in eius duodennis prudentia & responsis. ante 12. igitur anum eas imbiberit. At vbi hoc? quo id sub Magistro? qua methodo ordineque? Iterum si quasi quibusdam gradibus in eis profecit, quo vsq; in ijs progressus fuit? omnesne hausit an aliquas? quas eas? quantum in ijs? Cui nullus fuit Magister (*quomodo enim scit literas* aiunt Ioannis 7. *cum non didicerit*) cuius vita breuis, & non nisi annorum 33. extitit, cui experientia adfuit nulla, herbarum extra Palæstinam terrasq; proximas sitarum, lapidum in terræ marisque visceribus reconditorum, animalium vix homini cõspectorum, arborũ Iudææ tota nõ vsitatarum, astrorum integris lustris & sæculis vix cursum absoluentium, is quod paulatim proficiendo ad apicem omnium omnino scientiarũ peruenerit, nemo prudens vnq; somniârit. Aut igitur Christus caluinisticus

Christus Caluinisticus in liberalibus artibus & scientijs profecit.

Ignorata à Christo Caluinistico.

Christus Catholicꝰ perfectè scientias cœlitus haurit.

perfectus Rhetor philosophusq; non fuit; aut si fuit, studio laboréue id non obtinuit, sed superna vnctione tanquam verus Salomon hyssopi cedrorumq; & aliarum rerum notitiam est indeptus.

Christus nō dedicit ab angelis scientias,

Nec puto dicet meus Prædicans eum ab angelis omnia didicisse; tum quod nihil credat ipse nisi quod sit scriptum. At scriptum non est Christum sub Angelis profecisse: tū quod Christus caput sit Angelorum; caput autem ipsa membra docet & dirigit: tum denique quod & ipsius & cęterorum Caluinistarum sit κυρία δόξα *Christum* (prout ait Gallasius in li. 2. Iren. c. 49.) *ita ignorasse, vt disceret ipse atq; erudiretur more hominū.* Quod explicans §. 36. disp. 2. meus Prædicans Vorstius ait; *aliorum quidem hominum more Christum quadā didicisse, sed id non de quouis quorumuis hominum more; at de communi & minimè vitiosa* (quæ plagis minisue egeat) *discendi ratione accipiendum.* In qua explicatione non multum deflexit à Caluino ad 2. cap. Luc. v. 40. asserente: *quod vti corpore adoleuit Christus, ita & nostri causa secundum animam proficere voluerit, fueritq; anima eius subiecta ignorantiæ.* Et addit. *Hoc solum discrimen est inter nos & illum, quod infirmitates* (sub quibus comprehenditur inscitia) *quæ nos necessitate constringunt, sponte & voluntate sua suscepit*, atq; ita suscepit, vt Prædicans disertis verbis §. 34. blasphemet, *Christum ignorantiam quandam nostri causa in se recepisse,*

Christus Caluinisticus discit prædicanti more hominum. Etiamne scholas obit?

quam

quam postea in statu gloriæ primum deposuerit. quasi inscitiæ deponendæ, vita tota ingeniumque Christi summa illustratum gratia à spiritu S. non suffecerit. O impietatem maximam! Nihil pluribus opus. habemus indoctum sanè caluinisequarum Christum, & qui nunquam pertigerit ad Aristotelis, Euclidis, Ptolomæi aliorumq; in scientijs antesignanorum eruditionem: Videamus iam singulatim, in quas etiã scientias ex ignorantia Caluino deliquerit.

Christus tota vita laborat ignorantia Caluinopræ-dicanti.

CAPVT VII.

Christum Caluinistarum non fuisse perfectum Grammaticum & Rhetorem.

CAluinistarum Christum amusum ignarumq; Rhetorices & Grammatices fuisse, nullo negotio quispiam deduxerit ex præcedentibus; sed quod in thesi II. eorum desideret exempla prædicans & §. 46. disp. 2. oculis malè lippus inunctis non inueniri contendat, ex ijs paucula ipsius conspectui suggeremus, neque tamen improprias locutiones, duras metaphoras & id genus alia (quæ conniuentibus oculis præterijt) ad Priscianum Quintilianumq; spectantia ob id in memoriam illi reuocabimus. *Venit* (ait Christus Matt. 21.) *ad vos Ioannes in via iustitiæ & non credidistis.* non id ex omni parte satis Caluino facit, cor-

1. Exemplum.

Caluinus docet Christum suum loqui plenius.

rigit docetq; plenius & rotundius Christum loqui. scribit enim ad c. 1. Matt. in Harmonia. *plenior fuisset locutio: Venit Deus iustitiæ viam Ioannis ore demonstrans.* En Caluinum loquendi Magistrum & Christum Euangelistam q; eius discipulum. Plenius sese explicare docet Christum Geneuensis iste Papa, quasi verbum & Sapientia Patris æterni adhuc ignoret; quo modo animi sui sensa expromat. Neq; pleniorem modo orationem instituere docet eum, qui verba vitæ habet, sed & veriorem. Quod enim ille dixerat: *Venit Ioannes*, mutat id Caluinus scribitq;, *Venit Deus*: pro eo quod dixerat ille, *Venit ad vos* (Iudæos) hic scribit simpliciter, *Venit*, prætermisso (*ad vos*). Addit Christus *in via iustitiæ*, alludens ad id quod alibi dixerat: *Venit Ioannes neq; manducans neq; bibens, nec mollibus se vestiens* omnemque operum iustitiam consectans. Superaddit illis hostis iustitiæ operum caluinus, *Iustitiæ viam Ioannis ore demonstrans*, ex austera Ioannis vita, molle verbi ministerium procudens.

2. Exemplum. Caluinus corrigit Christi sui particulâ exceptiuâ.

Rursum ad cap. 17. Ioan. v. 12. *Est igitur*, inquit, *in verbis Christi* (Nemo ex ijs perijt, nisi filius perditionis) *quod ad Grammaticam impropria exceptio. Verum si rem expendimus, Christum ex cõmuni hominum sensu ita loqui oportuit.* Malè nimirum rudis caluinistarũ Christus vocula (nisi) secundum scholã Geneuensem adhibuit, inq; grammaticã exceptionem grauiter impegit, quod

quod Iudam ab ijs, quos illi Pater tradidit, excepit. Non hoc est Christū ad subsellia Grammaticorum pertrahere? nō censoriæ virgulæ, nō ferulę caluinianę subijcere? vt miranda sit prædicantica stupiditas, quæ vim Romani sermonis, aut nō aduertens aut malitiosè peruertens: *nihil*, ait §. 36. art. 2. *quicquā Christus sub ferula Caluini discere potuit, quia diu ante Caluini tēpora cœlos conscendit, nunc autem in statu gloriæ nihil ab hominibus addiscit.* scilicet non vapulat Priscianus in scholis, nō Cicero à Tullioma stygibus dedocetur Asiaticum dicendi genus, non Aristoteles à Misosophis accusatur, damnatur, explodituꝛ, quia nō superat modo, nec vescitur aura. Venio ad exempla in thesi posita. Monet caluinus ad c. 22. Luc. *simulitudinem cribrādi* (ab omniū sapientissimo ex omnib. rebus creatis delectam) *non omni ex parte propriè quadrare*, id est, esse mancam, imperfectam, ineptam. An nō & hoc munus est accurati Doctoris in gymnasijs literarijs? dicet & ille, si quid mancum in parabola discipuli videat: non satis ea parte orationem tornatam quadratamq;. Interim monebit discipulum, & in eo prædicantem caluino hoc loco patrocinantē, Christi similitudines in genere similitudinū esse exquisitissimas dignissimasq; Dei filio, sed cū ijsdem dissimilitudinē naturarū proprietatumq; in rebus similibus existentium semper cōiunctā, propter quā nemo nisi imperitus & impius cū cal-

Iudam nō tradidit Christo pater in Apostolū secundum Caluinum

Prędicans vim latini sermonis non intelligit.

3. Exempl. Calu. docet Christū suum quadrare similitudines.

Veri Christi similia in ratione similitudinū omniū exactissima

4. Caluino & prædicante dixerit ipsas similitudines non satis aptas & quadratas. Etiam monebit, vt illud, tanquam à Gnosticis mutuatum reformidet, quod scribit Calu. ad cap. 16. Luc. v. 1. *Quanquam autem durè & longè petita videtur similitudo, clausula tamen ostendit fuisse Christi consilium, docere humaniter & benignè cum proximis agendū.* Id enim est peregrinitatem duritiamq; in similitudine Christi carpere, scopum verò similitudinis solum laudare. Quòd nō aduertens aduersarius de mendacio & crimine falsi in citatione eius loci Iesuitas immerito sugillauit, ipse iustius cum Caluino impietatis in Christum accusandus. Vt autem omnium minimè discipulus toleret, hortabitur eum Magister si audiat (ad cap. 9. Marci illud Caluini) *Paulo durior est metaphora Christi dum salem nominat quicquid salsum est.* Neque enim sustinebit, aspergi vero Christo hanc ignorantiæ labem, vt metaphorarum vitia nesciat (quæ latent caluinisticum Christum) sed ita instruet eum, vt si quid prima fronte in Christi sermone displicere sibi discipulus persentiscat, id suæ tribuat ignorantiæ cæcitatiq; mentis, quæ non comprehendat æternæ sapientiæ dicta, vtque semper absoluat ab omni suspicione erroris Christum, se vero potius damnet stupiditatis.

Caluino longè petitur similitudo Christi scopum tamen probat.

Vorstius mēdaciter calumniatur Iesuitas.

5. Caluinus docet Christum.

CAPVT

CAPVT VIII.

Christum Caluinistarum non fuisse exactum Dialecticum.

PLato si quem gnarum diuidendi reperisset, eius se exosculaturum vestigia asserebat. Nihil ambigo, quin libens id Christo fecisset mecum, si quando in eum incidisset. Sed enim interuenit Caluinus, notat diuisionis à Christo datæ vitium, & ait ad cap. 22. Matthæi in Harm. *Videtur* (mihi caluino optimè quadrato) *non quadrare partitio Christi* (& hæc mea caluini est ratio) *quia propriè loquendo dum officio nostro fungimur erga homines, obsequium hoc Deo impendimus.* Hactenus visio non prophetica, sed caluiniana posita est. Accipe iam visionis caluinisticam dissolutionem. Quam? non aliam, quã obiectionem esseveram, Christumq; partitionem suam non satis benè quadrasse ad subtilitatem caluinisticam (cui hac ratione etiam esse non debet duplex charitas vna erga Deum, altera erga proximum propter Deum). Ne tamen nihil ad speciem caluinus afferat; addit, ad vulgi captum sermonem Christum accommodasse: quasi iam à caluino in ordinẽ vulgi redacti fuerint doctissimi Pharisæi & Herodiani, quibus sub ea partitione Christus respondit. Non te pudet, Prædicans, etiam contra hæc exsibilatum iam toties coccysmum tuum occinere: Mendacium est Iesuiticum,

Caluini Christus non benè diuidit.

Caritas Caluino non potest esse duplex.

Vorstius mendacij cõuincitur.

ticum, obiectio est pro sententia authoris perversè accepta? Planè obiectio est, mi homo, sed obiectio, cuius argumento caluinus succumbit, nequaquam negans quod illa colligit, sed absurditatē per vulgus excusans, interim eam esse in partitione Christi cōcedens: facesse igitur cum calua ista caluini tui defensione, nimis quam sæpè reiecta.

Caluini Christus non ratiocinatur solidè sed tātum apparenter in vulgus.

Deinde probat Christus Matt. 9. v. 5. sibi facilè esse remittere peccata, respondet ibidem caluinus: *videtur parum solidè ratiocinari.* Eius autem videri caluino hæc ratio est: quia quāto præstantior est anima corpore, tanto præcellit corporis sanitatem peccatorum remissio, vt proinde solidum nō sit dicere; possum sanare à paralysi *corpus, possum igitur* etiam persanare à peccatis animam. Subnectit quidem deinde his caluinus: *sed in promptu est solutio, quod Christus sermonem ad eorum captum accommodet.* Verum eo nodum haud dissoluit. Perinde enim est, ac si dicas, malè ratiocinatus est caluinianus Christus, adeoq; coram intelligentibus, nil nisi fumos vendidit; vulgo tamen in speciem satisfecit. Sic Matth. 12. v. 25. parum valida est secundū caluinum instituta à Christo Iudęorum confutatio. ait enim ibid. in Harmonia caluinus: *Calumniam sibi obiectam primum refutat* (Christus) *prouerbiali sententia. Videtur tamen parum solida esse refutatio.* Huius suæ opinationis ratiōes has addit. Prima, *& Sathan*

Caluini Christus aduersarios nō refutat solidè.

speciem

ſpeciem diſſidij ſapè oſtentet, quo modo vmbratiles & fictitios Sathanas (ſic enim loquitur mendaciſſimus hæreſiarcha) *per exorciſmos Pontificij eijciant.* 1. Ratio Caluini.

Deinde addit, *quod Diaboli ſæpe vertigine & cæca amentia rapti ſeipſos conficiant.* 2. Vnde ſequitur vt Sathanam Sathan, contrà quàm Chriſtus aſſumit, caluino eijciat. Etiam ad hæc reſpondet (vt monet Prædicans) caluinus, ſed ita vt prę-uaricatorem & proditorem cauſę verius comperias, quam defenſorem. Dũ enim non aliter occurrit quã manifeſtè falſis: quid agit aliud, quam vt obiecta lectori obtrudat pro veris? Falſum autẽ eſt, quod ait caluinus, Sathanam ita à Sathana eijci, vt tamen non euertat ſponte, quam habet in homines poteſtatem. Sponte & nõ coactè fiunt, quæ vel odio vel inuidia ſtimulante geruntur. At ipſi caluino diaboli cæca amentia odioq; & inuidia inflammati ſeipſos quandoq; conficiunt & exturbant. ſpõte igitur alterum alter poteſtate in hominem exuit. Deinde quid obſtat principi dæmoniorum, reliquas furias longè viribus potentiaq; antecellenti, alios minorum gentium diabolunculos ſua ſponte exuere ea quam habent in obſeſſum poteſtate? an vel ex incredibili faſtu libidineq; exercendæ oſtentandæq; ſuæ potentiæ, vel propter intuitum maioris mali, & alijs & ipſi energumeno euenturi, vel ob alias ſibi verſutiſſimo & mille artifici exploratas cauſas non poterit ſuperior inferiorem, imbe-

Contradictio Calu.

imbecilliorem valentior volens libenſq; de ſua poſſeſſione deijcere? Manet igitur, vt ex caluini ſententia, quãtumlibet etiam fremat prædicans, &, ô impudentiam, ô inuerecundiam, ô cæcitatem, ô ſtuporem (nempe caluiniſtica decora & honorum tituli) exclamet; manet inquam, vt verum ſit caluiniani Chriſti parum ſolidam eſſe confutationem.

Rurſum ait Chriſtus Matth. 7. verſ. 12. *Omnia ergo quæcunq; vultis vt faciant vobis homines, vos facite illis.* Quibus verbis vt Chryſoſt. Hom. 24. Euthymius, Theophylactus explicant, epilogum omnium quæ tribus præcedentibus capitibus dicta ſunt, conſtituit; vel, vt Auguſtino placet lib. 2. *de ſerm.* Domini, poſt exhortationem ad preces proximis periodis habitam, quaſi modum docet, quæ petimus impetrandi, ſi alijs fecerimus, quod nobis fieri velimus ab illis. At quid caluinus? caluinus inquam ille, minimè religioſus in ſcripturis; cui 4. Inſtit. cap. 17. §. 23. ridentur vt *ſyllabarum aucupes*, qui dictiones ſingulas ſcripturæ penſant: cui *ſtultè ſuperſtitioſi ſunt Papiſtæ & ſimiles* (Lutherani) *dum verba ſcripturæ mordicus arripiunt* ad cap. 26. Matth. verſ. 28. *Cui vt cunq; verborum Chriſti reuerentia tangi ſe* (catholici) *quiritantur, quo minus figuratè intelligere auſint, quæ ſunt apertè dicta, non eſt tamen hic ſatis iuſtus prætextus, cur omnes (quas ipſe contra ſcripturam apertam obijcit) rationes reſpuant.* 4. Inſtit. cap. 17. §. 20. cui de-

Caluini in ſcripturas ſacras irreuerentia & impietas.

deniq; contra textum Latinum, Græcum, Syriacum, Hebræum in 20. cap. Matth. v. 16. minimè quadrat Christi sententia: *Multi sunt vocati, pauci electi*: Quid inquam hic Caluinus, ad ea Christi verba commentans in Harmonia? *Superuacanea est* (ait) *illatio, quemadmodum sæpè in concisis sententijs particulæ istæ abundant*. Nec per hoc quod seorsim ea sententia legenda iudicatur ibidem à Caluino, indicatur illationis in ea necessitas, quia propositio seorsim sumpta infert nihil, vereq; in ea superuacua est illatio. Quamobrem etiam prædicans §. 48. vult eam ad aliam sermonis Christi partem referendam. Sed non meminit eius, vel relationis vel partis suo in textu Caluinus, nec Prædicans.

Christus Caluinisticus non probat sua solidè.

Sed quid hanc rem multis adeo disquirimus, quando & Caluini ipsius oraculo: *Memoria tenendum est vulgo receptis prouerbijs, ita vsum esse Christum, vt tantum essent probabiles coniecturæ, non autem solidè probarent*. Quin etiam Caluiniani huius actuarij subscriptione §. 48. disp. 2. contestatum habemus, *vt minimum sua solidè non semper probasse Christum, sed tantum per coniecturas probabiles docuisse, si quando receptis prouerbijs est vsus?* Putat Prædicans admirabilem in illa blasphemia & chimæra caluinistica sapientiam latitare, quam Iesuitæ non assequantur præ hebetudine & stupore incredibili, sed verendum ne magis hebes stupeat ipse. Quæro

Caluini Christus vtitur coniecturis & probabilibus, quibus cum formidine falsi assentiaris.

enim ex illo, ecquid illud est, quod solidè Magister veritatis non comprobauit? quæ illæ coniecturæ probabiles, quas relictis certissimis euidentissimisque argumentis ad docendum cœlestis doctor adhibuit? Habebat in promptu de omni materia rationes omnes solidas, quas creata mens potest concipere, & ijs relictis fallaces cõiecturas aucupatus esset? ille qui suo sermoni infallibilem authoritatem inesse voluit, dubias infirmasq; ratiunculas vsurpasset? Quem facis Christum tuum caluinisticum Prędicans? Nonne vides si persuaseris eum semel, iterum, tertiò vsum coniecturis probabilibus, etiam sępius & plerumque id ab eo factum auditores tuos suspicaturos? Et quid postea? probabilia posse esse vera & falsa nemo nescit. Concludent igitur caluiniani Christi sermonem Euangeliumq; posse esse verum & falsum, ipsumque Christum posse fallere in sua doctrina. En quo miseriarum & absurditatum cum tua recondita sapientia de probabilibus Christi coniecturis deuenias. En vt ipsum Christum, & omnem fidem in Christum eiusq; sacrosancta Euangelia incertis opinionibus inuoluas, Turcisque sceleratius pessundes.

Caluinista rũ Euangelio potest subesse falsum.

Vorstio Christi Euãgelium, complectitur probabilia.

CAPVT

CAPVT IX.

De imprudentia Christi Caluiniani in sermone lapsibusq.

DIctum fuit in eadem thesi: ex nescientia Christi caluiniani interiore multiplices in verba eius absurditates (de quibus hactenus actum) profluxisse. Tantum non insanit contra id indignabundus Prædicans. *pudeat Iesuitas* vociferatur §. 42. *mendacij tam crassi, quod dicant Caluinum apertè affirmare ex interna illa insciti a sermones Christi absurdos extitisse.* Sed ego huic homini nõ iam mentem tantum, sed & sensum oculorum, cum ea legeret, fumosa bile arbitror perturbatũ. Nulla vox, indicium nullum est in thesi, ex quo sani cerebri caput suspicari possit, ea verba ascribi caluino. Character longe alius, q̃ quo authoris thesiũ explicationes exprimuntur, stylus idẽ qui alibi, probationes huius dicti ex caluini libris subiectæ, aliaq; omnia etiam lusco innuere poterant, nihil minus q̃ ea verba caluino appingi; vt merito ipsum prædicantẽ sui pudeat mẽdacij, dũ tã crassè mẽtitur de Iesuitis. Norant illi orationẽ animi indicẽ dici, & verba signa esse eorum, quę sunt in mente, vt acutè dixerit Socrates: adolescens loquere quo intueamur te; hinc inferebant ex mente Christi caluiniani, destituti à visione beatifica, expertis scientiarum infusarum, malè instructi à Dialecticis

Prædicans appingit mẽdaciter Iesuitis sua delitia.

alijsq; acquisitis & experimentalibus notitijs, non posse non promanare quandoq; sermones absurdos. Offert palmam Prædicans, si quod exemplum absurditatis è Caluino attulero, hoc igitur agamus.

Caluini Christus loquitur inconsideratè.

Ad 26. Matth. v. 39. in Harm. *Non fuit hæc meditata Christi oratio* (inquit Caluinus) *sed vis & impetus doloris subitam ei vocè extorsit; cui statim addita fuit correctio.* Ibidem: *votum subito elapsum castigat, & reuocat.* Et in cap. 12. Ioan. v. 27. *votum illi inconsideratè effluit, cui statim renunciandum est.* Nunc adesdum paucis, Lithine Prædicans, ausculta parumper: corrigere quod est dictum, castigare & reuocare, quod est subito elapsum, renunciare *illi quod inconsideratè effluxit; est in* sermone suo agnoscere quippiam incõsideratum, imprudens, erroneum, quod correctione, reuocatione, renunciationeq;, dignum sit. At ex Caluini doctrina corrigit, castigat, reuocat dicta sua Christus Caluinisticus. Agnouit igitur suo in sermone lapsus aliquos ex imprudentia quadam fragilitateque Caluinisticus Christus. Cedo iam palmam, non alteri, quam explicatæ exploratæque veritati. Sed iterum aliud accipe argumẽtum. Qui potest decipi in quærendo fructu, qui in rerum natura non est, is etiam decipi potest in sermone de illo fructu loquendo, antequam eum non esse perspiciat. At deceptus est Christus Caluino ad cap. 21. Matth. in

Corrigit semel dicta.

Totus imprudens est Caluinianus Christus.

Vorstius palmam dare tenetur.

Har-

Harmonia, quærendo ficus in arbore. Verba caluini supra posuimus in cap. 6. *Quid? quod etiam de maturo ficuum tempore tunc* (cum ad arborem pergeret intendens ficus decerpere) *fortè non cogitârit*, vt ait prædicans §. 39. disp. 2. de quo tamen quilibet in Iudæa 11. Martij, audita mentione ficuum in arbore quærendarum, rusticus cogitasset. poterit igitur etiam decipi in sermone. Et vnde nosti mi Prædicans Caluiniano tuo Christo, non id etiam quandoque in alijs rebus factum per eandem incogitantiam, qua tibi memor non fuit, tempus ficuum non esse, cum ad arborem decurreret? Habes satis his duobus; non est quod plura desideres, nisi fortè expectas, vt illas contra Christum olentes Lucianum phrases è caluino subtexam. Ad 1. cap. Ioan. 1. *Christi responsio videtur parum apposita.* Ibid. ad cap. 3. *longè petitus & propè intempestiuus videtur hic sermo Christi.* Esto autem conetur hęc excusare caluinus, nihil tamen aliud agit, quam vt blasphemiæ spiritum hisce modis in animos suorum inserat, vulneretque mentes multorum speciosa obiectione, quas nequeat sanare frigida dilutione. Non erat vlla hic necessitas suspicionis de imprudentia Christi mouendę. Quæ enim vmbra est ineptitudinis in verbis Christi ad Nathanaelem: ait ipse: *Ecce Israelita, in quo dolus non est*, respondet Nathanaël: *Vnde* (ex Philippine sermone vel alterius indicio?) *me nosti?* Cui

Quærit quinquam esse vel rusticulus cum docuisset.

Christus: *Priusquam Philippus te vocaret, cum esses sub ficu, vidi te.* quasi diceret: videre est quoddam cognoscere, idque eo excellentius, admirabilius & diuinius, quo res visa abest longius. Atqui ego te vidi, longissimè hinc positum, & absentem etiam sub ficu, agnoscens & ficum (tametsi id caluinus non facilè credat) & te sub ea. Non est igitur quod dubites quin norim te. Omnia vt appositissima accepit simplex Nathanael; vt nō apposita apparet Christi responsio duplici versipelliq; caluino & caluinistis reformatis.

Argumēta Prædicātis contra scientiam Christi. I.

Sed mittamus ista & audiamus Prædicantem obiter contra infusionem scientiarum (quas acquisitas vulgo dictitant) sophisticantem. Primò obijcit, *planum est è scripturis Christum fratribus suis per omnia similem factum excepto peccato, ergo etiam similem esse oportet in dictarum scientiarum carentia.* Resp. vt suprà, eadem forma colligendum, ergo etiam similem esse oportere in carentia scientiæ beatificæ, similem in gratiæ vacuitate, similem in peccati fomite concupiscentijsque; quæ si improbantur prædicanti, prout improbat in Rhapsodia hac & alibi, etiam suæ illationis ineptias approbare non debet. Sed vt fomitem peccati excipit, propter facilitatem peccandi ex eo consequentem, ita & secludat ignorantiam, proximam item ad peccandum fenestram. Vide Bellarminum

Solutio:

minum lib. 3. de Christo cap. 5. Secundo ait §. 33. artic. 2. *ignorauit extremi iudicij diem Christus.* sed vix intelligas, cuius ex eo scientiæ priuationem velit inferre in Christo, an beatæ, infusæue: at ita secum pugnabit, subruens quod proximo §. 32. docuerat. An vero acquisitæ? sed nihil ad eam cognitio diei supremi, vt quæ non se porrigat ad illa hyperphysica. Quid igitur est quod intendit? Nimirum manifestum omnibus facere se sibi semper aduersari, vt qui §. 36. disp. 2. dicat de Christo: *omnia nouit, quæ ad executionem totius officij à Patre sibi impositi pertinent.* Iam verò ad illam pertinet & electos prædestinatosque omnes nouisse, & vniuersorum saluandorum numerum perspectum tenere, & scire tempus quo cunctorum sit futurus Iudex & rediturus pro officio suo malis mala apud inferos, bonis autem bona in cœlo. Nec Christus simpliciter negat Matth. 24. & Marci 13. filium scire diem nouissimum: sed vt negat, esse filij dare Apostolis, vt sedeant ad dextram vel ad sinistram; ita eiusdem esse negat, diem illum scire & edicere. Vide Bellar. loc. cit.

2. Solut.

Contradictio prædicantica.

DE DEITATE CHRISTI Caluiniſtici.

THESIS DVODECIMA.

FILIVM EIVS VNICVM. *Credo profilio priuignum aut reum quempiam expectas; quandoquidem Pater iam antè degenerauit in Vitricum & Carnificem. Certè Deus verè non eſt, qui Patri æqualis non eſt. At Caluino Pater κατ' ἐξοχὴν* & per excellentiam præ filio, contra Gentilem in refut. protheſis 10. & Inſtit. lib. 1. c. 13. §. 23. *in ſcripturis Deus eſt. Pater primum; Filius ſecundum à patre obtinet imperij & honoris locum. Spiritus S. tertium.* Caluin in cap. 22. Matth. v. 44. & in c. 26. v. 64. *Pater prima vitæ cauſa eſt & primus gradus; Filius ſecunda; Spiritus S. tertia.* Caluin. in cap. 6. Ioan. v. 57. & Marc. 13. *Eſt Patris Vicarius* in c. 22. & 26. Matthæi: *Miniſter*, Calu. in cap. 17. Ioan. *& Secretarius intimus.* in cap. 1. Ioan. *illo minor ſecundum diuinitatem.* Quanquam enim ab antiquis, ait in admonit. ad Polon. ſententia Chriſti: Pater maior me eſt, reſtricta fuit ad humanam eius naturam: Ego tamen non dubito ad totum complexum (*humanam ſcilicet & diuinam naturam*) extendere. *Dicere Filium Deum de Deo, prout ſancta Synodus Nicæna,* eſt *κατα χρηστικῶς* in ſynod. Lauſan. & durè, & periculosè, & impropriè loqui. Danæus contra Genebrardum. *Quid ita? quia precariam tunc à Patre haberet Deitatem* contra Gentil. perfidiam. *Haud aliter: ac ſi quia*

si quia Pater dedit vitam Filio. Ioan. 5. *item ꝯ personam, ideo vitam personam ꝯ mendicato obtineat filius; & non verius sit, per omnem generationem, naturam, essentiam ꝯ communicari genito.*

CAPVT X.

Christum Caluinisticum non esse Dei Filium verum ꝯ Deum.

ETsi planus sit totus discursus in decursu duodecimæ thesis explicatus, nec magnopere noua defensione indigeat, quod tamẽ Prædicans omnia è Caluino citata loca interpretari conetur à §. 50. ad 60. vsque disp. 2. de Filio Dei, quà Mediatoris personam sustinet, retexemus pleraq; & ad Filium Dei, qua Deus est applicabimus. Hæc igitur in thesi posita est ratiocinatio: Prima verus & vnicus Filius Dei æqualis est patri secundum diuinitatem, gloriam, & maiestatem. *Qualis enim Pater, talis Filius, talis Spiritus sanctus. Et in hac Trinitate nihil prius aut posterius, nihil maius aut minus, sed totæ tres personæ coæternæ sibi sunt & coæquales*, vt ait B. Athanasius. At vero Christus caluinisequarum non est æqualis Patri secundum diuinitatem, gloriam & maiestatem. Non igitur est verus & vnigenitus Dei Filius, sed priuignus vt ait thesis. Minor confirmatur multipliciter primò, vbi reperitur vnius præ altero excellentia præstantiaque in diuinitate, ibi nõ est vera

2. Argum. principale.

Caluini Christus nõ est patri suo secundum diuinitatem æqualis.

1. Minoris.

& perfecta æqualitas, vt quæ prorsus omnem excludat vnius præ altero eminentiam. At nihil certius, quam secundum caluinum reperiri Patris præ filio in diuinitate præstãtiam. Nam lib. aduersus Valentinum Gentilem. *Nomen Dei* ait κατ' ὑπεροχὴν *id est per excellentiam ad solum Patrem pertinere, & hunc propriè cœli & terræ creatorem esse, Filij autem personam non nisi impropriè creatorem nominari.* Idem Zanchius libro de tribus Elohim part. 2. lib. 5. c. 8. docet. Ecce, Pater caluino per excellentiã præ filio, est Deus. At non potest dici per excellentiam præ illo Deus, nisi excellat in Deitatis ratione. Orator per excellentiam dicitur Tullius, Poëtę nomen sibi vẽdicauit per excellentiam Virgilius: sed neuter id obtineret, nisi ille in dicendo, hic vero in canendis heroibus alios omnes longè anteuerteret. Excellit ergo Pater in diuinitatis prærogatiua propter quam Dei nomen per excellentiam verè sibi vendicat ex caluini sententia. Respondet prædicans §. 52. disp. 2. verissimè à caluino antepositã dici. Primò ob officium mediatoris à solo Dei Filio susceptum, cuius respectu Patre suo aliquatenus inferior sit. Deinde inferiorem esse ob principatum originis patri proprium in tota diuinitate. Sed neutra satisfacit solutio. Non prior, quia caluinus loquitur de Dei Filio, quà æternus Deus est, & ad mundi moli-

Responsio Prædicãtis. 1.

2. Refutatio posterioris

molitionem vt creator referri potest, vel vt Prædicans secunda responsione contendit, quà pater æternus æterno Filio origine prior est. Ea verò ratione officium mediatoris susceptì in tempore in eum non cadit. Nec posterior, tum quod hęc priorem, vt ostendimus aduersarij responsionem labefaciat, tum quod ratione Deitatis à Patre non habeat originem reformatis, sed sit caluinisequis, & caluino 1. Instit. cap. 13. & in Epistolis ad Polonos, & contra Gentilem αὐλόθεον: tum denique quod nudum principium originis, in ijs quæ ab æterno simul sunt, si cætera sint penitus æqualia (prout sunt in Trinitate, vbi eadem est omnium personarum essentia, potentia, sapientia, bonitas, &c.) maiorem excellentiam non conciliet, vt κατ' ἐξοχὴν siue ὑπεροχὴν pater ex hoc capite Dei nomen sibi vendicare non possit.

Eadem assumtio probatur secundo; *qui secundam à Patre honoris & imperij sedem obtinet*, verba sunt caluini ad cap. 26. Matth. v. 64. in Harm. *qui secundum vel proximum gradum occupat*: vt caluinus in Matth. 22. v. 44. *qui secunda est vitæ causa, vt inde ad nos vsq; perueniat, quod alioqui in Deo lateret* ad ca. 6. Ioan. v. 57. *qui secundam à Deo potestatem habet*, ad cap. 16. Marci v. 19. Eius Vicarius Matth. 26. ca. v. 64. & Marci 16. vers. 19. *seruus & Secretarius* ad cap. 1. Ioan. v. 18. ille honore, imperio, gradu Patri à quo secun- 2. Ratio.

secundus est, æqualis non est. Omnia autem hæc in Caluinistarum Dei filium quadrant, vt loca cum verbis Caluini in gratiam Prædicantis, qui vnum eorum reperire non potuit, recitata satis demonstrant. Excusat quidem hæc omnia in sua Apologia Prædicans §. 53. 54. & seqq. aitq; Iesuitas errare ex confusione officij & naturæ, item personæ Mediatoris & personæ merè diuinæ. Sed eo ipso suos Caluini erroribus cumulat errores. Nam primo quis nescit erroneum esse duas in Christo constituere personas, vnam merè diuinam alteram Mediatoris? *Vnus omnino est*, ait B. Athanasius *non confusione substantiæ sed vnitate personæ*, Plura Suarez Tom. 1. in 3. D. Tho. disp. 2. Quis item nescit à veritate esse alienissimũ asserere cum *Bullingero lib.* aduersus Cochleum c. 7. diuinas personas tres esse nõ statu, sed gradu, non subsistentia, sed forma & specie differentes? vel officij statuq; inæqualitatem in personis diuinis non derogare perfectæ earum æqualitati? Tertiò, sumamus etiam Christum quà mediator est & sic è Caluino argumentemur; Christus quà Mediator est, secundam à Patre imperij sedem, cæteraq; ante posita obtinet, scilicet vt Vicarius & Secretarius Dei. At Christus secundum diuinitatem Caluino est Mediator. Verba eius in admonitione ad Polonos sunt: *Impius est, imo diabolus, quisquis negat Christum secundum diuinitatem esse Mediatorem.*

Resp. Prædicantis.

Refut. Prædicans duas in Christo personas facit.

3. Ratio.

Christus secundum diuinitatẽ minor est patre Caluino.

Hinc

Hinc λόγος, verbum, & secunda in diuinis persona, iam inde ab initio ante lapsum Adæ Mediator fuit, eidem Caluino in litteris ad eosdem. Quod si igitur Christus Caluinianus secundum diuinitatem proximũ à Patre gradum occupat, quomodo Patre non sit inferior & inæqualis in diuinitate, cui concedit prærogatiuam honoris? Iam verò, vt filius patri concedit primas ratione excellentiæ, vt ait Prædicans, quam habet propter originem à patre: cur non ita etiam Filio priores partes concedat Spiritus sanctus qui à Filio non minus, quam filius à Patre, procedit, & originem ducit? tertias igitur in Theologia Caluiniana occupabit Spiritus sanctus, eritq; Deus quidem, sed quo sint excellentiores, Pater & Filius, vt à quibus spiretur. Quam non itaq; insulsè hic Prædicanticum suum acroama Vorstius occinit, mendaciaq; propter vitã, potestatem, sedem honoris tertiam Spiritui S. ex mente Caluini assignatam obiectat?

Spiritus S. tertias occupat in diuinitate ratione originis secundum Caluini.

Rursum eadẽ proposito Minor hoc etiam argumento docetur. Si maior Christo Pater est nõ secundũ solam humanam naturam, sed totum cõplexum siue humanam diuinamque cõiunctas simul, æqualis Patri Filius dici non potest. At verũ prius, vt disertis in thesi è caluino ad 14. Ioan. verbis probatum est. verùm igitur etiam posterius. Occurrit Prædicans §. 58. Non omnia quæ de tota persona, siue toto Chri-

4. Ratio.

Pater maior est Filio secundum diuinitatem.

Christo verè affirmantur, continuo affirmari de natura vtralibet. Sed hi fumi dissipantur perfacilè. Vt sis maior, & eam magnitudinem habeas necesse est, quam alter obtinet quo diceris maior, & præter eam, vt adhuc amplius quid includas, oportet. Superaddit enim aliquid comparatiuus (maior) quo caret minor. Si igitur Pater maior est Christo, eam in se magnitudinem necessario continebit, quam Christus, & prȩter eã aliquid amplius, ratione cuius Christo tam secundum diuinam quam humanam naturam dicatur maior. At hoc est dicere, filium in diuinitate esse minorem & inæqualem Patri. Licet & sic argumentari. Pater est maior secundum caluinum, eo toto φ vox Christus significat. *Sed vox Christus significat secundam in diuinitate* personam vna cum natura humana assumpta. Pater igitur maior est, quam secunda in diuinitate persona simul cũ natura humana. Quo quid Arrianum magis? hæ tamen sunt delitiæ Prædicantis mei caluino adhinnientis. Secunda ibidem principalis ratio est. Verus Dei Filius dicitur verè & propriè Deus de Deo, lumen de lumine. At caluinistici Dei caluinisticus Filius, non dicitur vere proprieque Deus de Deo, sed καταχρηστικῶς *durè, impropriè, periculosè*, vt loquitur in thesi citatis locis Caluinus cum suis. Non igitur Caluinistici Dei filius Caluinisticus est verus Dei Filius.

Caluinistæ Arriani.

2. Argum. principale.

De

De maiori propositione, quo quis minus ambigeret hactenus, fecit reuerentia, quę sanctissimæ doctissimæque Nicænæ Synodo, id est, 318. in ea fidei Christianæ columnis ex toto orbe contra Arrium pro diuinitate Christi à Constantino Magno Imp. collectis, fuit delata. Nec dubitauit annis 1300. & amplius vniuersa Ecclesia, quin id verissimè proprijssimeq; ad tollendas Arrianorum cauillationes esset dictum. Verum interuenit iam Caluinus, vnus trecentis octodecim confessoribus Doctoribusq; se opponit, negat legitimè dictum. Sed ineptè satis vt assolet. Quid enim proprium magis dici potest, quam Patrem cœlestem esse Deum? quid verius, rectius, melius scribi potest, quam etiam Filiũ Dei, esse Deum? ecce, Filius est Deus, Filius est à Patre, Deus igitur à Patre est. Atqui ipse etiam Pater est Deus, est igitur Deus de Deo, Deus filius de Deo Patre. Iam verò vlterius. Est propriè Deus de Deo, & impropriè ac periculosè dictum sit, Deum de Deo? καταχρηστικῶς & durè pronunciatũ sit lumen de lumine, Deum verum de Deo vero? nó iam ligonem ligonem, nec ficum ficum dicet propriè Prædicans amplius, si Deum de Deo non licet dicere cum Nicænis Patribus. Nihil autem vim huius probationis eneruat, quod Caluinus 1. Instit. cap. 13. §. 33. inculcat Filium essentiam habere à seipso, personam à Patre, quia falsum est, per veram generationem

Rectissimè dici Deum de Deo.

nem ipsam personam & non essentiam naturam q; genito communicari, vt alio digrediens §. 60. Prædicans tacitè concedit, etsi Deum de Deo duos Deos significare, Caluinisticè contendat.

Sed audiamus Prædicantem ipsum, Theologiæ suæ Caluinisticæ mysteria deducentem more suo argutè: *qui* inquit *simpliciter & sine exegesi adiecta Deum de Deo dicit* (vt fecerunt in Nicæno Concilio Patres diuinitus inspirati) *is sane duos Deos, quorum alter ab altero exiſtit, dicere videtur*, (in schola Caluinistica, at non in Christiana, quæ mille trecentis & amplius annis vnum Deum ijs verbis intellexit, filiumq; à Patre procedere docuit). Quid autem deinde? *duo Dij ab æterno esse non possunt: alter igitur eorum habebit precariam deitatē ab altero* (puta gignendus, quiq; adhuc nondum exiſtit, aget precario cum genitore, vt se producat) Quid subtilius, &, vt ita dicam, Caluinius? Nil nisi subtilitas hæc est Caluinistica, si Deus dicatur de Deo, duos Deos concipiendos, quasi non vna eademq; concipienda sit Deitas & natura diuina, sed quæ communicabilis exiſtat, procedatq; propter infinitatem suam longè aliter, quam procedit finita filij alicuius natura in humanis à patre finito. Et quia ex Ioannis 5. cap. vers. 26. allegatum erat in thesi: sicut Pater habet vitam in semetipso, sic dedit & Filio, habere vitam in semetipso. Nec tamen ob id

Vnus Deus, at duæ personæ sunt cogitandæ·

vitam

vitam filius habet precariam indignamq; vnigenito. Occurrit Prędicans locum Ioannis, non de essentiali deitatis vita intelligendum, sed de potestate mortuos viuificandi. At quid vetat etiam de vita essentiali accipi cum Augustino lib. 15. de Trinit. ca. 26. tract. in Ioan. 19. cum Ambrosio lib. 4. de fide c. 5. cum Idacio lib. 3. contra Viramadum, & cum alijs patribus? nónne huic enarrationi contextus ipse patrocinatur? Sicut Pater, ait, habet vitam in semetipso, ita dedit, & Filio habere vitam in semetipso: At Pater vitam habet in se essentialiter, habet igitur eam & Filius essentialiter, & cum ipsa essentia naturaque diuina communicatam ex Euangelistæ sententia. Deniq; Filium habere personã à Patre, nec tamen ob id precariam esse (quod itidem in thesi fuerat positum) concedit Prædicans, sed addit, id fieri posse, eò quod hæc in diuinis trina sit, essentia vero vna. Verum scopum præceptoris sui Caluini in argumentando, & thesis propositæ non perspicit. Caluinus contra Gentilem vrget; si Filius à Patre habet Deitatem, iã eam habebit precariam, at nõ habet precariam. Vrgemus idem argumentum & nos contra Caluinum, & dicimus: si filius habet personam à Patre, etiam eam habebit precariam, non minus quam haberet essentiam precariam à patre secundum Caluinum, si ea esset à patre. At absurdum videtur Caluino Filium

Personam habet filius à patre, nõ tamẽ ob id precariam.

Filium habere à Patre quid precarium. non igitur habebit etiam personam à Patre. Quod si falsum esse Prædicans clarè agnoscit, agnoscat falsum ineptumq; esse caluinisticum cõtra Nicœnos Doctores argumentum.

Paradoxa aliquot Prædicantica.

Adijciamus auctuarij vice paradoxa, quæ dũ hæc discutimus, sub manum nascũtur non aliena à proposito. Primum est contradictio Caluino prædicantica. Neq; enim cohærere possunt essentiam filij nõ esse à Patre, esse vero ab eo Filij personam. Si namq; persona est à Patre, cum persona Filij ab eius essentia re non sit distincta, etiam essentia necessario erit à Patre. Hoc modo quia esse Socratis non nisi ratione differt (vt iam ex philosophia exempli causa suppono) ab esse hominis, quod est in Socrate, fieri non potest, vt essentia Socratis producatur, quin simul essentia humana generetur. Erit igitur essentia Filij Dei à Patre, quia res eadem est cum persona Filij quæ est à Patre: & tamen non erit à Patre, quia Caluino eiusq; similis propriè filius non est Deus de Deo Patre. Hinc licet hoc etiam modo colligere. Veri Dei filius personam habet à Patre. At caluinistici Dei filius personam non habet à patre, vt qui ab eo non habeat essentiam, quæ cũ persona res est eadem. Caluinistici igitur Dei filius, nõ est verus Dei Filius. Secundũ est; absurdissima purissimi actus secũdæq; in diuinis psonæ, facta per caluinistas com-

1. Contradictio prædicantica.

Caluinistici Dei filius nõ est verus Deus.

2. Dei Caluinistici Filius no est actus purus.

compositio, dum verbũ diuinum simpliciſſimũ coagmẽtant ex parte ingenita vna & genita altera, efficiuntq; simul genitũ ingenitumq; & magis ingenitum, quam genitum, si modo verum sit, prout est, naturam essentiamq; rei, esse potiorem subsistentia ac persona. Huiusmodi verò compositum non est veri Dei verus Filius: sed is simpliciter est genitus & ex patre natus ante omnia sæcula. Tertium est, non necessaria filij Dei Caluiniani ab æterno productio. *Si enim Deus habuit vim filij generandi* (vt Caluinus concedit contra Gentilem) *quia voluit*, vtiq; nec genuisset eum, nec generandi vim habuisset, si quod liberum erat agenti liberrimo, noluisset. Potuisset igitur Caluinistici Dei Filius non esse. At nec hoc in veri Dei Filium competit, qui non minus ens est necessarium, quam pater. vt firmum propter hæc maneat Caluinianum Christum non esse verum Dei filium. Quartum est, Caluinistica diuinæ generationis euersio. *Stultè*, inquit Calu. 1. Inst. cap. 13. §. vlt. *fingitur continuus actus generandi, ex quo liquet ab æterno tres in Deo personas subsitisse.* Ex quibus ita concludo. si non est continuus actus generãdi respiciendo ad tempus nostrum, iam igitur non generat pater filium. At falsum hoc est, tum quod Pater non minus hoc tempore se intelligat, intelligẽsq; Verbum dicat, quam ab æterno fecerit; tum quod diuinæ generationis mensura sit æternitas;

3. Dei Caluinistici Filius potuit nõ produci.

4. Generatio Caluinistici Dei non comensuratur æternitati.

nitas; quę licet in se considerata, sit tota simul, relata tamen ad tempus tam imaginarium quàm verum, semper ei coëxistit cognoscitúrq; continua. Sed etiam finge in Deo patre actum generandi abruptum ante aliquot annorum millia, an non hoc ipso plures & generationes & genitos efficies? quæro enim post abruptũ semel actum, nunquámne iterũ eum resúmsit, vel resumere saltẽ potuit? nunquamne verbũ iterum formare valuit? Vnde hæc in Patre nihil immutato difficultas, vt nõ queat amplius quod potuerat ante? imo quomodo non mutatus pater, qui eam facultatem non obtinet vlterius, quam possedit prius? Quod si autem generandi actum vel resumpsit, vel resumere potuit, quid restat, *nisi vt plures genitos filioſq; Dei*, & non vnum vel esse vel esse posse quis cogitet? Quintum, necessaria secundum Caluinistas Filij in essentia & natura à Patre distinctio. Neque enim ibi cõmunis duarum personarum potest esse natura, vbi communis naturæ operatio non est. At in Deo Patre Filioq; eius Caluinistico, communis naturæ operatio non est Caluino ipsiusq; catulis. *Pater enim solus propriè creator est cœli & terræ* (Caluin. libro aduersus Gentil.) *Pater imperat Filio, vt postulet à se; promittit q, quod & daturus sit illigentes hæreditatem* (Melanthon contra Stancarum, & in Epist. ad Brandeburg) *contra Filius secundum Deitatem orat, obedit, supplicat, sacrificat, postulat à Patre, vt seruus, vt Sacerdos, vt*

5. Caluinistici Dei filius naturã habet distinctam à Patre, itemq; intellectũ & voluntatem.

Pon-

Pontifex. Melanth. locis cit. *Quid? quod Filius Dei ante incarnationem orauit hæreditatem gentium, & regnum à Deo patre sibi dari?* Idem in Epistola ad Electores Torgæ data 3. Octob. An. 1552. Et in locis communib. An. 45. *Natura diuina non est quidem lacerata aut mortua in passione Christi, sed fuit obediens Patri, quieuit, cessit iræ æterni Patris aduersus peccatum generis humani.* Astipulantur his alij è Sacramentario cœtu duces verbi, Beza in quæst. & respons. pag. 33. *Verissimũ est Christum etiam secundum Deitatem humanæ naturæ coniunctam pro nobis intercedere.* Idem Epist. Theol. 28. *Quis negauerit hanc obedientiam ab ipsa incarnatione cœpisse, & tum ad compositam personam totam, id est ad vtramq; naturam simul consideratam referri, tum etiam & ad humanam & ad diuinam distinctè consideratas pertinere?* Iuellus Anglus contra Hardingum. art. 17. & 14. *Duæ,* inquit, *in Christo naturæ fuerunt, Deitas atq; humanitas, Christus humana naturâ immolatus fuit, diuinâ sacrificus extitit.*

Operatiões naturæ diuinæ, ppriõ filio quit caret pater.

Sed hæc ab vna natura diuina simul non possunt, pficisci. Si enim orat ante incarnationem filius patrem, filius & nõ pater intellectu preces votaq; concipit. habet igitur Filius intellectum alium à patre. Quod si etiam Pater imperat Filio, actus imperandi est in mente Patris, & nõ in mẽte Filij, alia igitur mens est Patris imperantis, alia filij obsequentis. Et quis ipse sibi supplicat sacrificatq; ? irato supplicatur Deo, Deus igitur nõ erit filius supplicans, sacrificansq; , saltem non idem Deus erit cum

Alius est Caluinistis intellectus Dei patris Caluinisticiaius intellectus filij Dei, qua Deus est.

Patre, quocum communes non habet intellectus voluntatisq; actus. Portenta hæc sunt Arrianorum turpissima. Vna vt essentia & natura est sanctissimæ Trinitatis, ita & intellectus, voluntas, potentia actusq; eorum ad extra cómunes sunt omnibus tribus personis diuinis.

THESIS DECIMATERTIA.

DOMINVM NOSTRVM. *Vide & ride Dominum hunc Caluinianum, 3. Instit. cap. 24. §. 13.* vocem dirigit ad suos seruos; sed vt magis obsurdescant lumen accendit; sed vt reddantur cœciores. doctrinam profert; sed quo magis obstupescant. remedium adhibet; sed ne sanentur. *Et licet hos inter seruos non sint Caluiniani, vt qui soli sint prædestinati, & ob id vocem eius audiant; omnem tamen honorem & grati animi signum negant. Non licet cum reuerentia significatione sanctum eius nomen* supra num. 9. *edicere, non ad eum preces suas petitionesq; dirigere: siquidem* qui ad ipsam carnem Christi, *siue* Filio Dei hypostatice vnitam suam adorationem aut inuocationem dirigit, is ex ipsius Dei ore maledictus est. Lam. Danæus in Exam. Kemnitij. *Nec vero Magi quando procidentes adorauerunt eum, cuius viderant stellam in oriente, aut illi aurum, thus, myrrham, vt Regiq;, Hominiq;, Deoq; dona tulerũt, ipsum vt verum Deum coluerunt: sed tantum,* vt magni cuiusdam Regis Filio suum obtulerunt obsequium. Calu. in Harm. Matth. 2. v. 11. *Nec Centurio*

qui se

qui se indignum censebat, cuius tectum subiret Christus, & cuius fides superauit aliorum fidem in Israel. Calu. ibid. *nec cœcus ille, qui voce* Ioan. 9. *professus se in Filium Dei credere, procidit & adorauit, eum adorando aliud significauit*; quàm quod genu demisso, vel alio quodam signo honorem, obsequium, & alia beneuolentiæ signa alteri exhibenda indicauit.

CAPVT XI.

Quod Christus Caluinisticus non sit Christianorum Dominus.

Caluinistarum Christus est Dominus ridiculus & illusor.

NON esse probat thesis argumentis nequaquam contemnendis, & nec vel in minimo inaniloquentia prædicantica labefactatis. Primum est Christianorum Deus ac Dominus non aliud in lingua, aliud pectore clausum gerit, sed ad quos vocem dirigit, eos omnes ipsam vult audire; quibus gratiæ lumen offert, eorum mentis oculos vult corroborari; quibus doctrinã profert, eorum quærit profectum; quorum obligat vulnera, eorum desiderat sanitatem. Non agit hoc pacto cum hominibus Caluinistarum Christus Dominus, vt liquet ex 3. Inst. c. 24. §. 13 in thesi. Ille igitur non est verus Christus Dominus. Visum est Prædicanti hoc in syllogismo primo minorem negare §. 61. disp. 2. aitq; *non facile adducimur, vt credamus hæc* (in thesi charactere

minusculo ad designanda Caluini verba posita) *vspiam ita vt hic posita sunt apud Caluinum extare, præsertim cum hic de seruis Christi, hoc est de fidelibus & pijs expressam fieri mentionem videamus, de quibus ista nemo satis piè dixerit, imo postremũ membrum prorsus absonum videtur. Sit igitur mendacium Iesuiticum 33.* Ita quidem Prædicans in Latino. At vbi in lucem protrusit germanica, reperto iam loco, & deprehensis omnibus prout erant citata de verbo ad verbũ, omnia hæc præter-

Prædicans se ipse mendacij redarguit multipliciter. Palinodia.

misit, palatumq; suũ, & discernere adhuc non nouisset inter Caluini aloën & aliorum mella, insipientię, se vero multiplicis mẽdacij ipse redarguit. Primò enim inuenit 3. Inst. ca. 24 §. 13. quæ vspiam in Caluino extare negauerat.

1.

2. Secundò de impijs obduratisq; inimicis Christi *affirmata cognouit*, quæ prius de fidelibus

3. & pijs Christi seruis dicta esse asseruit. Denique, postremum membrum nulla reprehensione dignum cẽsuit, quod ante prorsus absonum proclamauit. Et nihilominus toties suo ipsius iudicio mentitus, mentiri Iesuitas audacter censuit. O impudentiæ impudẽtissimum ministrum! Addit deinde §. 62. nõ omnes seruos, dicto semper esse audientes, vt ob id Caluinianus Christus non desinat esse Dominus. Sed ad rhombũ syllogismi propositi facit hoc nihil. Ex adiunctis connexisq; vero Christo Domino, euertitur Dominus Caluini sequarũ.

Verus Christus serio quærit qꝑ perierat.

Veri Christi Domini est, quærere seriò quod perie-

perierat, & ex sua parte gratiam auxiliumque necessariũ ad salutem omnibus, etiam reprobis hac in vita offerre, prout pulchrè cõtra deliria Caluinistica docet Becanus ca. 4. disp. de auxilijs gratiæ. Nequaquam hac benignitate cum ijs agit Caluinisticus Dominus, sed ridet, ludificat, diuexatq; reprobos, promulgat ijs præceptũ fidei, baptismi, pœnitentiæ, & nihilo minus quam lumen fidei gratiamq; ad pœnitendum ijs impertit. qua de re supra Apodixi 1. c. 10. & Becanus c. 9. in disp. de Iustificatione Caluinist. & cap. 5. de prædestinatione Caluinist.

Caluinianus Christus simulat se quærere quod perierat.

Secundo, vero Christo Domino debetur honor reuerentiaq; à seruis, non interior modo, sed & exterior, vt qui nõ minus corporis, quàm animæ dominium teneat, atque idcirco vtriusque seruitium merito requirat. At Caluinistarum Christo Domino nõ debetur honor, non vel tantillus, quantulus defertur nomini Principis audito, vt cap. 1. huius Apodixis secũdę docuimus. Caluinianus igitur Christus non est Dominus. Ad hanc ratiocinationem negaturus minorem, eã esse mendacium ait §. 65. sed mentitur ipsemet vt loco citato ostensum est. Quod autem in thesi Caluiniani soli prædestinati, vocemq; Christi sui audire dicerentur, *duo* exclamat §. 63. prædicans *hic sunt mẽdacia, duo errores pudendi. Primũ mendaciũ est solos Caluin. esse Caluino prædestinatos. Secundum*

2. Domino defertur honor etiã exterior: Caluinistarum autem Christo nõ defertur honor.

Vorstio saluantur qui fundamentum fidei saluū tenent, at qui hi?

omnes Caluinisequas esse electos Caluino: rationem addit, quod *aliqui à Caluino dissidentes inter electos numerentur, modo fundamentum fidei & salutis saluum teneant, aliqui etiam doctrinæ Caluini assentientes hypocritæ reperiantur.* Dum hæc cognoscis, optimè lector, non tibi videris audire impostorem & tenebrionem aliquem, videri volétem alios hæreticos cum Sacramentarijs in vnum quasi stabulum compingere? nec tamen id planis verbis audere? Qui fundamentum fidei saluum tenent, ij sunt, ais, electi. Sed quod hoc fundamentum? vbi? à quo? quibus verbis exprimitur? quibus finibus est circumscriptum? Caluinissimus Castalio apud Bezam lib. de hæret. puniendis, hæc à fidei reformatę

Ad fundamentum fidei non pertinet Trinitas, Deus, &c.

rescindit fundamento, & ne quærenda quidem putat ea, quæ disputantur, de Trinitate, de Deo, de Christi statu & officio, vbi sit, quid agat, quomodo sedeat ad dexterā Patris, quomodo cum eo sit vnum. Iacobo Acontio li. 3. stratag. Sathanæ: *Symbolum Apostolicum nunquam ita creditu cognituq; necessarium est, vt qui non amplexus id fuerit, salutis particeps esse non possit, sed sufficit hoc tempore fides populi iudaici, cui noti esse non potuerunt religionis Christianæ apices; sufficit credere* (cum latrone in cruce) *Christum in regno cœlorum nostri posse meminisse, & hominem eum qui Iesus dicitur à Deo esse & apud eum gratiosum.* Martyri Anglicano apud Foxum in actis sufficit cum Mahometanis & Turcis Deo vni confidere

Symbolū Apostolorū non est creditu necessarium Caluinistis. ô Mahometanos.

dere & legem eius seruare. Age Prædicans, idémne tu, quod iam dicti Caluinisequæ, sentis? & tu quæstiones de Trinitate, de Deo, de Christo, nihil ad fidem tuam tuorumque spectare arbitraris? dic, quod tuũ est fundamentum, quod vis saluum? Etiámne apud Trinitarios, Eutychianos, Nestorianos Caluinogenitos in Sarmatia persistit? Saluúmne est apud vbiquitarios, cæterosq; Lutheranos, quorum dogma Beza Epistola 70. appellat excrementum Sathanę? permanétne apud Anabaptistas hostes baptismi à Christo *instituti*? cur non clarè hæc ediseruisti, è quibus totius rei pendet intelligentia? dicere omnes verè credentes, omnes verè pios Christianos, omnes in veste nuptiali comparentes (nihil opinionum quarundam dissensione obstante) reuera electos esse, est caluinisticè, est veteratoriè, est obscurè loqui. Quęritur, qui illi verè credentes, verè pij, nuptialitijq; sint, an Lutherani, an Caluiniani, an Trinitarij, an Catholici; singuli se esse cõtendunt, tu quod litem dirimat præter voces ad populum nihil profers. Vna Apostolo est fides, vnum baptisma Ephes. 4. si ergo Caluiniana fides vna illa est, cæteræ sunt adulterinæ, soliq; Caluiniani, hoc est ex alijs nulli, sunt prædestinati, atqui ijdem etiam omnes electi sunt Caluino, si modo verum est illud 3. Instit. c. 22. §. 7. *Quos inseruit semel Christus* (caluinisticus) *in corpus suum per fidem*,

Vorstius perplexatur de fundamento fidei.

Caluinianos solos Caluino electos & prædestinatos.

dem, eorum neminem perire sinit. Vide Bellarm. lib. 3. de Ecclesia fusè contra affanias huius nugonis dissertantem.

Error vero Iesuitarum, Prædicanti prior est, §. 64. q reprobos vocem Christi audire, & in eũ credere ad tẽpus opinentur. Sed si in hoc peccatũ erat Iesuiticũ, cur nõ, vt præcedentia, ita etiam hoc in mẽdacijs repõebat? mira subtilitas & distinguendi promptitudo Caluino-prædicantica: mentitur qui ait: *omnes doctrinæ Caluinistarum adhærentes Caluino esse prædestinatos*: nõ mentitur sed tantum errat, qui inquit: *præter prædestinatos etiam reprobos sæpè in Christum credere.* Si vtrumq; falsum esse prædicans volebat, cur nõ vtrumq; vel mendacium & cõtra mentem, vel errorẽ ex ignorantia prognatum asseuerauit? Verum vt solet mẽtiri cum Iesuitas vult esse mentitos, ita etiam aberrat, cum errores coaceruat Iesuiticos. Ipsius error est, quod vult reprobos, nunquam verè in Christum credere. Nam Iudas fuit ex reprobis. At Iudas verè ad tempus in Christum credidit, vt quem Ioan. 7. & sibi à Patre datum, & vnum perijsse ex datis Christus rotundè profiteatur. Fuit item ex non prædestinatis Simon Magus & Nicolaus Antiochenus. At Simon Act. 8. credidit, & Nicolaus inter plenos Spiritu S. & Sapientia Actor. 6. fuit. Quid pusiones ab hoc prædicante baptizati? num donum fidei per baptismum diuinitus nõ consequuntur? num

Damnandos quandoque ad tempus credere.

1. Ratio.

2.

3.

non

non profitentur aliquādiu in cœtu Sacramentario suā plerophoriam? at ij omnes sunt prædestinati, cum non rarò aliqui ex ijs, vel ad religionem Catholicam, vel hæreses alias conuertātur Caluiniſtica prædeſtinatione euersa. Obiectio. Sed opponit ex Rom. 8. Quos prædeſtinauit hos vocauit. ergo omnes quos vocauit per fidem, eos etiā prædeſtinauit. Papæ! quam acutè? Hem alter hic Carneades Helleborū sumsit, argutatur, vt nihil poſſit ingenioſius. Vocatus fuit ad nuptias is qui veſtem non habuit nuptialem Matt. 22. Vocanti credidit, venitq; per fidē. An igitur fuit prędeſtinatus, & nō potius reprobatus, demerſusq; in tenebras exteriores? An nō multi ſunt vocati, pauci vero electi? plura Bellar. li. 3. de Eccleſ. c. 7. Verū eſt prædeſtinatum omnem vocari ad fidem, vt quæ ſit baſis ſalutis. At non inde fit omnem vocatum ad fidem, eſſe prædeſtinatum, cum non deſint. 1. Timoth. 1. qui circa fidem naufragauerunt, manumq; aratro applicatam, & retraxerint olim poſt multos piè traductos annos & etiamnum retrahant. Hic eum oportuerat diſcuſiſſe fallaciam accidentis, vel etiam cōſequentis, quam alibi venatur ineptè. Alter error Ieſuitarum Prædicanti eſt, in ſuperſtitioſo cultu, vt ait, nominis Ieſu, de quo licet §. 4. 5. 6. huius articuli dixerit, hic tamen §. 63. 64. 65. 72. 73. eadem penè retractat. Sed reſpondi ſupra. Solutio.

Multi vocantur per fidem, at nō omnes, vocati eliguntur.

Ter-

Tertia probatio: vt ab honorante, alium corpus eodem cultu, quo anima afficitur (esto non corpus, sed anima sit, quæ egregijs virtutum insignibus excellat, sitq; ratio fundamentumq; cultus) ita etiam hic homo Christus verus Dominus eadem adoratione suprema, qua Verbum incarnatum, simul adoratur secundum humanitatem. Esto non humana, sed diuina natura habeat hanc infinitam excellentiam, quæ diuini cultus latriæq; ratio est. At humana natura Caluiniſtici Christi verbo vniti, eadem adoratione simul non colitur, nec est colenda. Ita enim apertè docuit Petrus Richerus Caluino discipulus longe cariſſimus, ab eoq; missus Año 1557. in noui orbis Franciam nouus quinti Euangelij Apostolus; vbi sua obsignauit manu coram Francisco Alberico Notario publico año 1559. *non esse adorandum Christum in carne humana, ne terrenum adoretur elementum.* Testatur hæc oculatus testis Villagnonus ad art. Caluini. Idem illud lolium disseminauit caluini pullus Lambertus Danæus in Apologia de adoratione carnis Domini nostri, scribens: *quoniam caro Christi etiam in vnione vera caro est & vera creatura, ideo nunquam religioso cultu adoranda est.* Et in Exam. libri Kemnitij: *qui ad ipsam carnem Christi suam adorationem aut inuocationem dirigit, is ex ipsius Dei ore maledictus est.* Clamat ad hæc Prædicans, *mendacium Iesuiticum, valdè impudens, error crassus: nos preces ad Iesum*

Nõ adorandum Christum humana in carne aiũt Caluiniſtæ

Prædicãtis responsio. Refutatur.

sum Christum dirigimus. Scilicet à Iesuitis quæritur, quid meus Prædicans actitet, vtrum vigilet an somniet; deliret, an sapiat, & non potius Danæi aliorumq; Sacramentiperdarum perfidia detegitur. Quanquam etiam, quis credat prædicantem ad Iesum Christum, id est, hominem & Deum simul preces dirigere; siquidem §. 66. adæquatum adorationis obiectum constituit diuinam essentiam & maiestatem: atqui adæquatum obiectum actus cuiuspiam, complectitur omnia, circa quæ versari potest. Cum igitur essentia diuina non complectatur humanitatem Christi; Hæc non cadet sub preces adorationemq; Caluinoprædicantis. Et quod inde fit, non adorabit Christum; vt qui non Deum hominemque simul, sed in eo solum Deum veneretur. Imo si Caluino applaudit in catechismo, solum adoret Patrem, in nomine Filij, & proinde Spiritum sanctum non curet. Sed hallucinatur Vorstius in eo, quod obiectum adorationis imperite confundat cum fundamento & ratione adorandi: quasi non obiectum honorantis alium sit totus homo, hoc est corpus & anima, fundamentum vero ratioque honorandi sit sola virtus excellentiaque in solis animæ dotibus reposita.

Prædicans nō adorat Christum Deum & hominem simul.

Aliud est obiectum adoratiōis, aliud eius causa tatioq;.

Quarta ratio. Adulterare ea scripturæ loca è quibus ad stabiliendum Christi Dominium, diuinitatemq; potissima semper argumen-

menta sunt à Patribus sanctis deprompta contra hostes veræ fidei; est Christum ipsum proditoriè de dominij sui possessione deturbare, & hostibus eius ad atheismũ latam viam consternere. Adulterauit autem conspurcauitq; turpissimè luculentissima pro Christi Dominio & Diuinitate sacrarum literarum testimonia cum suis Caluinus. Nam *abusi sunt veteres*, ait ad cap. 10. Ioannis *hoc loco: Ego & Pater vnum sumus, vt probarent Christum Patri esse ὁμοούσιον. Intelligitur nõ de vnitate substantiæ, sed consensu voluntatis, quem cum Patre habet* (vt placet Arrianis) *sed abripuit eos huc contentio cum Arrianis.* Iterum *qui hunc locum Psalmi 2.* Filius meus es tu ego hodie genui te) *de æterna Christi generatione exposuerunt* (quod tamen fecit Paulus Hebr. 1. nihil moratus Caluinum) *nimis argutè in verbo hodiè philosophati sunt.* Rursum quod omnes ferè interpretes Matth. 2. vers. 11. *de regno, sacerdotio, sepultura Christi philosophantur, & aurum faciunt regni symbolum, thus Sacerdotij, myrrham sepultura, nihil mea* (inquit idem in Harmon.) *iudicio solidi habet. Quin etiam Deum non crediderunt, sed more persico regem adorantes, quem terrenum esse adhuc putabant, terræ fructus obtulerunt. Sic vix credibile est* (quicquid etiam veteres, quicquid cõtextus circumstantiæq; conuincant) Matth. 8. & Caluin. ibid. in Harm. *Centurionem illum de diuinitate Christi fuisse edoctum.* Nec cœcus ille Ioan. 9. v. 28. Caluino ibidem, cum adorauit Chri-

Caluinus adulterat scripturæ loca de diuinitate.

Caluino nõ credunt Christum esse Deum

Magi nec sunt primi næ gentiũ.

Centurio nõ credit.

cœcus non credit Caluino.

Christum, tunc eo vsque profecerat, vt Christum sciret Deum in carne manifestatum. Et oportet in hoc magis assentiri Caluino altercanti vna cum obduratis excœcatisq; Iudæis contra cœcum, quam vnà cum Christo acquiescere cœco iam videnti sanatisq; oculis & anima iam dicenti Christo: Credo Domine in te filium Dei, & ex hac fide procidens te adoro Deum. Hęc & id genus alia (de quibus Stancarus contra Caluini epistolas fol. 97.) reformatum à quinto Euangelio virum Aegidium Hunnium impulerunt, vt in libro, Caluinus Iudaizans, exclamet: *quis locus est pro Christi diuinitate, quē non atra Arriana glossa caligine Caluinus obfuscârit? quem non quasi piceo obiecto fumo suorum commentorum obnubilârit? percurre à capite ad calcem Biblia, vniuersa testimonia per aleatoriam quiduis illudendi versutiam è manibus nostris excussa comperies ad Arrianam hæresin plenis catarractis & imbribus in orbem terrarum infundendam & ingurgitandam.* Hæc apud Blandratam, Franciscum Dauidem, aliasq; Christianismi pestes hactenus in Sarmatia id effecerunt, vt in disputationibus suis contra Christum nullas malint scripturæ exegeses, quam Caluini. Respódet Prędicans §. 68. 69. 70. priuatas has Caluini fuisse opiniones. Credo, non potest Catholice opinari, qui catholicam oppugnat Ecclesiam. Non potest non priuata sequi deliria, qui cómunia Patrum interpretamenta doctrinamq;

Caluinus omnia loca p Christi diuinitate corrupit.

Prædicans agnoscit Caluini sui blasphemias.

aspernatur. Pleraq; impia Caluini dogmata ipsius Nouatorum q́ue sunt propria & priuata, nisi quod eadem vetustis etiam hæresiarchis fuerint olim vsurpata. Sed nō hæc Caluinum cum suo Caluangelio ab impietatis suspicione eximunt: satis est vt Dominij Christi censeatur euersor, si arma quibus propugnari Christi regnum maiestaq́ue debuit, vt versutus proditor Christianis extorqueat, hebetet, diffringat.

THESIS DECIMAQVARTA.

EX *his nullo iam labore hæc corollaria conficies.* 1. *Caluinisequarum fidei secundum articulum toto distare cœlo, ab eo quem tradiderunt Apostoli, & si cogatur ad aperti sermonis vsum efficiter & amplius execrandū.* ET IN NON IESVM, ACHRISTVM PRIVIGNVM, VNICVM DEGENEREM. 2. *Caluinianis paulo religiosorem esse Diabolum, vt qui ad nomen Iesu Christi ex obsessis corporibus* Marc. 9. *faciat, filiumq́; Dei agnoscat, cum illi ne latum quidem vnguem, vel manu ad leuandum pileum sublata, vel poplite ad flectendum curuato se moueant.* 3. *Iure suo Caluinigenas Familianos in Anglia* in præfat. lib. contra familiam amoris anno 1577. Lond. editi. *Frisia, Hollandia: Libertinos in Gallia, Flandria, Brabantia, VVestphalia.* Caluin. contra Libert. *Seruetianos in Transyluania, Hungaria, Polonia, negare Christum verū esse Deū: sed tantum nudū hominem & philosophū datum humano generi.*

neri. Simlerus in præfat. lib. de æterno Filio Dei, *vt sit rectè viuendi exemplum, aut vt paulò maiora cum Melanthone canamus*, Phil. in locis com. Hallæ Anno 1539. fol. 8. *in Christo non totum*, sed aliquid esse diuinæ naturæ substantialiter.

CAPVT XII.

De Corollarijs.

INsurgit aduersus hæc corollaria totis viribus Prædicans, Iesuitas lædorijs, sannis, mendacijs, calumnijs adeo cumulatè onerans, vt cum aliàs alios Sathanas atque aduersarios & improbos calumniatores vicerit, tum hic non mediocri progressu superârit etiam seipsum. Expostulat contra infernalis Cerberi latratus, hoc est, voces Iesuitarum (sic enim & adhuc acerbius loquitur) de iniuria innocenti Caluino irrogata, & simul expostulationi miscet Sathanica conuitia: tractat & retractat caluinianorum erga Christum, nomenq; Iesu reuerentiam mentiens aduersus solem meridianũ, & querelas pariter apud Deum hominesque de innocentia caluinistica deponens. Sed stultè hæc omnia: ex præmissis iã antè demonstratis necessario corollaria ista hæc cõsequũtur. Notũ est ex vero nil nisi verũ in legitima syllogismi forma deduci. At verissima sunt quæ ex caluino hactenus probauimus. Sed surda aure præteruehamur diras caluino-

prædicanticas,& miracula caluinistarum mirissima (res noua voce noua indiget) audiamus. Cum §. 73. impudenter admodum (contrarium enim ostendi verum esse facilè intelliget, quisquis Thyræi de dæmoniacis & locis infestis, Delrij disquisitiones Magicas & añuas è Iaponia, China, & Indijs inspexerit) ne gasset ad nomen Iesus vllos vnquam diabolos è corporibus obsessorum exactos; subijcit: *contra in Ecclesiis nostris (Deo laus) exempla non desunt, qui per piam & crebram ipsius Domini Iesu inuocationem, cum veris etiam ieiunijs cõiunctam, & tandem à dæmonijs sunt liberati.* Quid ais, ô Prædicans? vlli vnquam energumeni vestri Caluangelij virtute sunt liberati? vos Sathanam *in* Beelzebub eiecistis? res *inaudita & incredibilis*: amabo quo *id anno*, mense ac die factum? quo Imperatore ac Pontifice? num ad Calendas Græcas, vel idus Nullodecembres Latinas? quis huius prodigij testis? quis Historiographus portentorum *horum* conscius? an malè soporata anus id secundum quietem vidit, visumq; testis oculata retulit tibi? dignum patella operculum, dignum caluinistica fide testimonium. Dic tamen quis locus, vbi ostentum eiusmodi editum? An VVittenbergæ in Saxonia factum? At ibi Lutherus primus noui Euangelij Apostolus non diabolum è puella Missnensi, sed diabolus Lutherũ è Sacristia VVittenbergensi (ostio securi à M. Frederico Staphy-

Caluinistæ eduntmiracula fugantq; dæmones.

Lutherus dæmonem eiecturus eijcitur.

phylo diffracto) trementem fœdeq́;(sit venia verbo) caligas commaculantem expulit. Rem narrat, qui interfuit, Staphylus in respõsione cõtra Smidelin. An Geneuæ in Sabaudia? verũ etiam ibi Caluinus reformati verbi post Lutherum Euangelista, miserè contusus, cæsus, morsus & tantum non discerptus est à Vignero(serui nomen est)obsesso per diabolos. Historiam pertexit Bolsecus in historia de vita Bezæ. An denique vel Gelæ in Brabantia, vel Amstelrodami in Hollandia id accidit? Sed nullum ibi memoratur inuocatum Iesu nomen à Caluinistis. Excesserunt quidem è dæmoniacis hominibus hospites infernales, quò tempore animam egit strenuus eorum Archistrategus Martinus Lutherus, sed excessus ille tantisper durauit, dum ad infernas sedes læto cum furiarum triumpho miseram perducerent (Bredenbachius lib. 7. collat. c. 39.) animam. Excesserunt etiam anno 1566. quando imagines Christi templaq́; Caluiniani in Belgio euerterunt, sed nec ille excessus fuit diuturnior, quam fuerit ipsa iconomachia, diabolis caluinistarum conatus firmantibus dirigentibusq́;. Lindanus lib. 1. de fugandis idolis cap. 14. Quis igitur locus in quo prodita hæc tua miracula prædicans? dic aliquid, ne nimis crassè mentitus videaris. Dic vel in vrbe Qinsai apud Tartaros 24. milliaria Germanica complectente, vel Mechæ in Arabia, vbi Ma-

Caluinus ab obsesso malè contunditur.

hometis pẽdulum in aere sepulchrum à Turcis inuisitur, vel apud Sciopodas in Africa soli auertendo pedem obijcientes, vel inter Blemyas homines capitibus carentes, oculumq; in pectore habentes vnum, vel denique apud occidẽtalis Indię Anthropophagos: hæc si dixeris, suspiciet stupidum vulgus admiranda caluiniana; stupebunt docti ad prædicãticam mentiendi proteruiam, ridebuntq; memorari loca, vbi ne pedem quidẽ adhuc caluinisequę posuerint; idque facilè intelligent, omnia illa mira caluinistica gesta re ipsa in vtopia. Alioqui Lutherus in colloquijs agens de expulsione diaboli Tom. 1. Francof. ad Mœnum excuso fol. 118. *Nos Euangelici, ait, nõ debemus neq; possumus dæmonia eijcere certis cæremonijs & verbis, sicut olim Prophetæ, Christus & Apostoli.* Nec discrepat in præfat. Inst. ad regem Galliæ caluinus (credo piscator ictus iam semel à Sathana sapiens) vbi multis in mirabiliarios detonat dicẽs: *eos, qui miracula* (à caluinisequis) *postulant, improbè facere.* Tu tamen interim edic mi prædicans, vbi dęmonia ista cum tuis exegisti? quod hominis nomen, è quo hostẽ humani generis exturbasti? qui testes? quæ, qualia, quam diuturna ista tua ieiunia ad hanc rem necessaria? quam crebra ista tua Domini Iesu inuocatio fuit? non superstitionem, non battologiam timuisti in crebra repetitione, qui accusas Catholicos de salutationis Angelicæ in Rosario iteratione? Nimis luculenter mẽtitus es etiam

Euangelici nõ eijciunt dæmones.

hac

hac vice mi caluinoprædicãs. Sed nihilo subtilior tectiorq; est, q̃ §. 74. colligis, cõtradictio in verbis corollarij tertij. Vis enim duo hæc: Familianos in Anglia, Libertinos in Gallia, Seruetianos in Pannonia & Transyluania dici in thesi caluinigenas, & ibidẽ insinuari eosdẽ oppugnari à caluino & caluinicolis, duo inquam hæc, esse pugnantia, ideoq; iusto Dei iudicio excœcatos, spirituq; vertiginis Iesuitas videri percussos, qui citârint caluinisequas cõtra caluinigenas. Sed ipsemet es excœcatissimus. citant Caluinũ contra Libertinos, citãt alios, ad quid? vt Libertinos cum Familianis & Trinitarijs doceant negare Christum. Quicquámne in eo à vero dissentaneum? nónne id loquuntur libri tuorũ Sacramentariorum ad posteritatem transmissi? Non id inficior, inquies: quid igitur culpas? quod dicãtur caluinigenæ, in quos scripsit Caluinus. Ignosce, nõ videris assequi, quæ sit vis vocis caluinigena. Nõ eos caluinisequas & sectatores caluini diximus, sed caluinigenas, hoc est, progenitam deductamq; à Caluino sobolem. Putásne vero nouũ esse, vt pater in Filium transfugã ferrum calamúmue stringat? vt fratres armentur in se inuicem, & grassentur? non Dauid in Absolonem? nõ Romulus in Remum? nõ Lutherus in primogenitũ suum Carolstadium? nõ eius. dẽ cõfessionis Augustanę fratres rigidi in moles? nõ Caluino papistæ Angli in Puritanos to-

Prædicans nescit quid sit Caluinigena.

Trinitarij geniti ex Caluino in Europa.

viribus hactenus insurrexerunt? Longè sapientius Lutherus Sacramentarium hominem agnoscit Lutherigenam cum scribit in Epistola ad Hausmannum anno 26. Tom. 3. Ien. fol. 192. *Et cur non Georgij Ducis mendacia calumniasq; patiar, qui proseminatos à me liberos meos Absolones perferre cogor, omnium vehementissimè in me pugnantes? Sacramentiperdas* (caluinistas) *intelligo, præ quibus Papistas pro mansuetis & discretis hominibus habeo. Adeo Sathan per istos in me insurgit.* Si nescis ventose Prædicans, disce ab auo tuo Islebiensi Lutherigenas dici tuos Sacramentarios, in quos tamen nemo Luthero acerbius vnquam totis libris inuectus sit. Esto igitur, scripserit in Familianos Caluinus, non hoc officit nobis, efficitue, vt non sint ideo Caluinigenæ. Recordare te disp. 1. §. 103. de Adamo Neusero vltrò concessisse è Caluini eum gremio & schola ad Mahometum transfugisse; idem probatum est ad eum locum de alijs. Ipse agnoscis nidum Caluinismi Angliam plenam Familianis; Galliam caluinistarum altricem refertam Libertinis; considera an non vtriq; ex caluinistis ꝓdierint, & in suprà morata doctrina caluini de Deo authore peccati, de prædestinatione, & alijs sint fundati. Pergis post hæc §. 76. ad Melanthonis patrocinium, & licet eum non legeris, mendacij tamen arguis Iesuitas. At cuius? *quod in thesi verba ista* (in Christo non totum) *diuersis typis à sequentibus*

Lutheri Absolones Sacramentarij.

Neuserus Caluinigena Mahometizat.

Familiani & Libertini ex doctrina Caluini vt ouo ꝓdierunt.

tibus excuderint, atq; iccirco haud obscurè fateantur, apud Philippum ea non esse. Planè ita factum oportuit. Apud Melanthonem non inueniuntur. Hoc igitur ipsum, dum te iudice fatentur, verum ipsi profitentur, tu vero eos mentiri splendidè mentiris. Melanthonis de Christo verba sunt in editione citata fol. 8. pag. 2. *cum haud dubiè sit naturæ filius, necesse est in eo aliquid esse naturæ diuinæ substantialiter.* Et fol. 10. pag. 2. *Necesse esse in Christo aliquam esse, naturam diuinam, per quam omnia sint condita.* Et fol. 11. *cum tenebimus Christum Dei Filium natura esse, facilè poterit defendi, quod in Christo sit quædam natura diuina.* Si Grammaticus iste Philippus totam in Christo voluit esse naturam diuinam, quid dicit aliquam, vel aliquid ei inesse? nónne aliquis, est quasi alius quis, & ex pluribus diuersisq; vnum vaga designat significatione? Adi Grammaticos, & si vis ipsum Philippum, in sua Grammatica, omnium hanc esse sententiam intelliges, quod *aliquis* vim habeat pluralem, quamuis dicatur numero singulari. Quid igitur est Christum habere naturam aliquam diuinam, nisi è pluribus naturis diuinis eum obtinere vnicam? Ad Trinitarios, ad Caluinigenas & hostes Christi cum illis tuis tuorumque ter impijs locutionibus. Nemo sanæ mentis Christianus sic vnquam ineptijt & blasphemauit. Quod autem circa vocem (aliquid)

Iesuitas mentiri mentitur apertè prædicans.

Melanthonem in Christo non est tota natura diuina.

quid) philosophari conaris de essentialibus Dei idiomatibus, id planè est in lente vnguentum & siculnum auxilium. Aliquid naturæ diuinæ, idem Melanthoni est, quod aliqua vel quædam natura diuina. Sed plus satis de cauillationibus, contradictionibus, mendacijs, blasphemijs prædicantieis.

ad 3. art. iam porro abeamus.

APO.

APODIXIS III. BLASPHEMIARVM CALVINISTICARVM CIRCA III. APOSTOLICI SYMboli articulum.

ARTICVLVS TERTIVS Catholicus.

Qui conceptus est de Spiritu Sancto, natus ex Maria Virgine.

THESIS DECIMAQVINTA.

GEnerationem eius quis enarrabit? ait Isaias. ca. 53. *Enarrant eam Caluinistæ, putantq; prophetæ verba (quicquid etiam contradicant Patres veteres) non de Christi generatione: sed regni eius diutina propagatione interpretanda,* Calu. in Isaiam ca. 53. *Enarrant autem hac ratione, vt conceptus quidem Filius sit, sed tamen videre non possint, quomodo simul cũ Filio conceptus & incarnatus non sit Pater, cui vna cum Filio est essentia.* Friccius initio libell. de Mediatore. *Deinde vt solus intelligatur conceptus Filius, vt tamen de cœlesti gloria, quã habuit ab initio.* Ioan. 17. *nihil deperdiderit per carnis nostræ assumptionem, non satis capit Calu.* Præposterum, *inquit,* in Ioan. 17. Christi de reddenda claritate votum fore, si de sola humanitate intelligatur, nõ etiam de diuinitate. *Vnde & à Melanth. cõtra Stancarũ, & alibi* in Ep. ad Elect. Brãdeb. 12. Ian. an. 1553. data scribi-

scribitur: Filius Dei secũdum diuinitatem gloriam sibi dari & restitui orat ac postulat: *Deinde vt conceptus nil amiserit de gloria; informis tamen prius massa, & fœtus extitit, qui more aliorum infantum in Virginis vtero sensim, humanum coalesceret in corpusculum. Quæ enim de momentanea fœtus conformatione differuntur à Theologis, admirabilem vim potestatemq; Dei omnipotentis operantis in Virgine supra naturam, & ex purissimo eius sanguine Adamo secundo, in momento integrum corpus formantis, pensiculantibus; ea Caluini Magistro in cap. 2. Lucæ Bucero* sunt commenta. *Nec verum est quod ait ille,* Ioan. 1. *Visum eum plenum gratiæ & veritatu; aut non ad mensuram datum illi Spiritum.* Sed vnà cum ætate creuerunt etiam in Christo animi dotes. *Caluinus* in cap. 3. Luc. versic. 40. gratuitisque *Spiritus Sancti donis auctus est. Quid? quod columbâ super Christum descendente,* primum redditus sit certior suæ vocationis, & ob id noua Spiritus Sancti vnctione imbutus. In capite 3. Matth. versic. 61. quod vberiore tum Spiritus virtute sit instructus, vt fortior foret ad obeundas pugnas.

DE

DE CONCEPTIONE ET NATIVITATE.

CAPVT I.

De mendacijs aliquot Caluino prædicanticis.

NIsi in ipso statim huius articuli limine inciperet à mendacijs, nomen se posse tueri suum Prædicans non existimauit. vix primum absoluit paragraphum, quin loqueretur ex suis, hoc est (vt scapham cum ipso scapham appellemus) prædicanticè mentiretur, calumniaretur que. Mentitur cum ait: *Saltem nemo hactenus inter Papistas extitit, qui circa hoc caput de Christi natiuitate, vel minimum etiam errorem, nedum, hæresin aliquam nobis Caluinistis obiecerit, exceptis calumniantibus hisce* (Monasterienſibus) *Iesuitis*: Iam pridem vobis Sacramentarijs obiecerunt complures alij viri docti & has & alias blasphemias. Feuardentius Galliæ decus lib. 4. Theomachiæ Calu. Reginaldus inter Anglos vir multiplicis scientiæ laudibus eximius in Caluino Turcismo, Polonus Iurgievvicius, in Nullus & Nemo. Cnoglerus Austrius in symbolo Caluiniano, Slusselburgius Lutheranus in Theologia Caluinistica, vt præteream innumeros alios, qui Elenchos Catalogósue hæresum conscripserunt ex professo:

1. Mend. Iesuitas primos hęc obijcere.

sesso: certè è Societate in hanc materiam pauci inciderunt, qui nō data occasione hos atheismos, deformatis Euāgelicis in os ingesserint. Vide Posseuinum in Atheismis li. 8. c. 32. Maldonatum in commentarijs in Euangelia passim. Bellarm. cum alibi, tum lib. 3. de Eucharistia capit. 6. Suarez Tom. 2. in 3. D. Thomæ. & alios.

2. Mend. Mentitur secundo cum ait §. 2. Christum secundum Caluinum virginitate integra manente verè & propriè natum ex Maria virgine, de quo infra cap. 4.

3. Mend. Mentitur 3. & simul sibi contradicit cum inquit §. 3. Iesuitas in thesi miscere æternam generationem Filij ex Patre & cōceptionem eiusdem temporalem *in vtero matris*. Nam §. 5. *concedit illud* prophetæ: Generationem eius quis enarrabit? rectè intelligi de generatione Christi temporali. Cum igitur Iesuitæ vnà cum Irenæo lib. 3 ca. 21. Iustino in colloquijs cum Triphone, August. in Ioann. tract. 31. Leone Papa de Natiuitate Christi, & cum alijs locum illum Isaiæ intelligant de temporanea Christi Genesi, non confundunt toto genere inter se diuersas generationes.

4. Mendac. Mentitur 4. cum Iesuitis ascribit pro mendacio §. 4. quod dicant, Caluinum & cæteros eiusdem luti homines gloriari, quasi enarrare possint generationem Christi. Non enim asserunt eos vspiam hac de re gloriari. Sed simpli-

pliciter, quid ab ijs fiat, ostendunt, dicentes: Enarrant eam Caluinistæ, simulque indicant Caluini in explicando versu Esaiæ peruersam licentiam, qui ex Christi generatione confingat Ecclesiæ propagationem contra veterum intelligentiam, audacter deflectens ad explicationes honori Christi extollendo minus appositas.

Mentitur 5. cum Caietanum numerat inter Iesuitas §. 6. vbi scribit, *Quin idem fit ab ipsismet Iesuitis, vide vel solum commentarium Caietani & Pererij in Genesin, vbi sæpius à torrente patrum recedunt.* Non enim Caietanus Iesuita fuit vel esse potuit, qui & Cardinalis & Dominicanus quãdo Societas Iesu coaluit, vix fuit. 5. Mendac.

Mentitur 6. cum infit §. citato. *Patres semper voluisse sua omnia ad S. Scripturæ & rectæ rationis amussim examinari.* Nam anathema illis in Concilijs dixerunt, qui examinata ab Oecumenicis, maximè primis Synodis, probataque, rursum examinare & disputate nõ pertimescerẽt, vide Bell. li. 2. c. 3. de cõciliorum authoritate.

Mentitur 7. solenni suo more secum pugnans. Nam §. 11. ait: *Bucerus nec dixit, nec dicere potuit* (Christum in vtero prius informem inanimatámue massam assumsisse) *vt qui sciret informem massam nec Deum, nec hominem esse.* At §. 14. cum sibi obiecisset *filio Dei indignum videtur, si dicatur informem fœtum assumsisse:* respondet: *non magis hoc Christo indignum videtur, quam quod in morte cadauer sibi vnitũ retinuit.*

Potuit

Potuit igitur Christus vertiginoso prædicanti informem massam assumere non minus quam eam in morte retinuit, idq; dicere potuisset Bucerus: & non potuit eam eidem assumere, ideoque id Bucerus etiam dicere non potuit. Omitto mentiri hominem prædicanticè, cum negat in Bucero ea verba reperiri. Sed quid attinet lectorem fatigare fœdis Apologiæ prædicanticæ antilogijs seligendis, pleraq; introspecta sunt mendacium.

CAPVT II.

An & quomodo filius Dei Caluinisticisit incarnatus.

Aliquorũ Caluinistarũ Messias nondum natus.

1. Probat.

DE hoc *in* 1. *parte* thesis 13. res tota paucis ita potest comprehendi. I. Vero fit admodum simile Caluinistarum omnium Christum nondum venisse. Probatur 1. quia Martino Bucero Caluini Magistro, Apostolo in Angliam, Euangelismo illustrandam, missо; *viro* (vt prædicans inquit §. 102.) *sua ætate & etiamnum in æstimatione maxima habito* visum est, & quidem iam iam morituro, & ante Deum iudicem huius verbi apparituro, Christum Iesum non fuisse Messiam promissum, sed alium exspectandum. Lindan. Dial. 2. Dubit. Genebr. ad annum Christi 1551. Posseuinus in Atheismis ad artic. 3. Symboli Apost.

Vlen-

Vlenbergius causa 11. his si potius assentimur quam prædicanti, testes omnes Catholicos Lutheranosq; repudianti ignoscet, quia prædicanticè desperateque eum mentiri solitum paulo ante vidimus.

2. Probatur idem. Dicere: *sufficit nobis ad salutem fides populi Iudaici*, non est aliud quam dicere: necesse non est credere venisse Messiam. At id asseruit caluinizans Acontius li. 3. Stratagematum Sathanæ. Similiter dicere: *quæ disputantur de Trinitate, de Deo, de Christi statu, &c. ne quærenda quidem esse*, est manifestè dicere, non curandum magnopere, quid de Trinitate, de Deo, de Christo sentiatur & credatur. Hoc vero locutus est modo intimus caluino castalio apud Bezam lib. de hæreticis. Denique dicere: *Anabaptistas tolerabiles esse, & circa parerga tantum quædam & res secundarias morbidè languere*, idē est ac dicere, lāguorem aliquem, & parergon, remque secundariam esse in fide, non credere cum Anabaptistis (de qua re caluinus in tract. contra Anabaptistas) Christum verum esse hominem. Atqui ista Musculi in locis communibus capit. de hæreticis verba sunt. 2. Probat. Dehis c 11. Apod. 2.

3. Probatur ex eo quod eandem insinuauit doctrinam Andreas Friccius, cum in libello de Mediatore ait: *videre non possumus quomodo cum vna sit trium personarum essentia, non Pater simul cum Filio incarnatus sit*. Nec mirum id à caluinista 3. Deus Pater videtur incarnatus Caluinistis

uiniſta videri non poſſe; quandoquidem ipſi Caluino in 1. c. Ioan. v. 1. *quod Apoſtolus vocat Sermonem Filium Dei, hæc ſimplex videtur ratio, quia æterna ſit Dei Sapientia & voluntas.* Atqui æterna Dei ſapientia & volũtas incarnari nõ poſſunt, niſi etiam Pater, cuius eſſentialia idiomata ſunt, æterna ſapientia & voluntas, ſimul caro fiat. Huius obiectionis repellẽdæ gratia, ſuſq; deq; verſat ſe meus prędicans, vociferatur §. 7. diſp. 3. *non eſt Friccius (vt videtur) per omnia noſter. Et quis præter eum hoc dixit? non aſſeueranter, ſed dubitanter id dixit, nempe vt forte plenius explicaret diſcrimẽ perſonæ & eſſentiæ.* Verum quid ſibi vult illud (vt forte plenius explicaret) ſi legeras, Prædicans, id Friccium agere, cur addis, fortè, cui ſtatim reſponderi poteſt per non forte? cur non planis quod repereras verbis ediſſeruiſti? Sin autem (quod fit probabile ex alijs tuis verbis) non legeras, quo ore id dubitanter ab eo propoſitum affirmas? qua fronte non aliter te venditas, atque ſi ſcopum ſententiamq; Friccij pro certo calleas? Et quid quæris, quis præter Friccium id dicat: Papa Geneuenſis ad cap. 1. Ioan. v. 1. idem inſinuat verbis iam iam ad rationis normam à me examinatis.

Reſp. Prædicantis.

Chriſtus Caluiniſticus gloriæ ſuæ diſpendium fecit in incarnatione.

2. Illud etiam fit perſpicuum, quod quorum Chriſtus iam venit, ille de Cœleſti gloria, quam habuit ante ſæcula, non parum de-

per-

perdidit, ex quo Mediator Dei & hominum in tempore esse cœpit. Probatur ex ijs quæ apod. 2. cap. 10 ad finem, iam dicta sunt. Ibi enim docuimus Dei filium hominem factum iuxta Caluini sequarum oracula etiam secundum Deitatem *orare, obedire, supplicare, seruire, sacrificare, subijci Patri*; hæc vero pugnant, cum ea quam ab æterno habuit gloria, vt secundum quam nihil horum fecerit, nec vero facere etiã potuerit absq; suę essentiæ à substantia Patris distinctione, & gloriæ Maiestatisq; coęqualis diminutione, vide locum citatum. Quibus adde testimonium Caluini in literis ad Polonos, vbi intendens oculum in c. 17. Ioan. v. 5. *præposterum*, ait, *fore votum, de gloria quam petit, si de sola humanitate intelligatur, non etiam de diuinitate.* Adde & Philippi verba manifestissima in thesi posita. Respondet Prædicans §. 9. & 10. *vtrumq; loqui de Christo Mediatore orante secundum vtramq; naturã à Patre glorificari, & secundum humanam quidem reipsa, at secundum diuinam non reipsa* (id enim fieri non posse prædicans concedit) *sed quoad ostensionem gloriæ.* Sed primò apertam vim facit verbis Melãthonis, qui ait, *eum orasse gloriam sibi restitui secũdum diuinitatem.* At non verè restituitur, nisi quod verè ablatum est; nec alteri restituitur quam illi à quo ablatum est. Necessario igitur intelligitur ablata gloria à diuinitate, cui vult eam restitui Melanthon.

Resp. Prædicantis.

Refutatur.

Secundò, iam euicimus supra, diminutam fuisse Christi caluiniani gloriam per incarnationem secundum caluini principia: frustra igitur (vbi de caluini sententia agitur) cõtendit Prędicans gloriam verè esse idioma essentiale deitatis, quod auferri restituiq; non possit. Nec verba Euangelistæ difficultatẽ vllam continent. Vide Maldonatum ad cap. 17. Ioan. Toletum ibidem.

Caluinistarum Christus concipitur informis.

3. Ad cumulum blasphemiarum accedit, quod ad gloriæ diminutionem in diuinitate Christi, etiam Conceptionis quædam indignitas in humanitate Christi fingatur à caluinistis. Probatur, quia quod ad natiuitatem & partum attinet, *nos* caluinistæ, inquit Prædicans hic §. 2. *nullum imaginari solemus diuinum miraculum, vbi nullius in scripturis sit mentio.* At quod Christi corpusculum in vtero virginis matris sit statim conformatum omnibus suis membris, animatumq;, eius non est in sacris literis vlla mentio; vt subijcitur §. 11. proinde hac in re non ei licet imaginari miraculum. Quid igitur? sed cogitat omnia naturaliter, puta formationem membrorum è sanguine menstruo fœmineoq; semine naturalem, partum item verũ, proprium, physicum, §. 2. qualis est aliarum mulierũ cum dolore, cum sordibus puerperiorum, & tantum non absque obstetrice. Non erubescis ad hæc Prædicans? non pudet te tam physicè de operatione Spiritus

ritus sancti è virgine ratiocinari? Imò etiam vesaniam tuam §. 13. probabilem tribus allatis argumentis facere conaris, aisque 1. *virgo iusto tempore Christum in vtero tulit, sicut aliæ mulieres.* Ergo ab initio fœtus conformatus non fuit. Respondeo, si concederes, ergo etiam omnipotenti vi Spiritus sanctus procreatus nõ fuit, dicerem collectionem tuam esse optimam, caluinianisq; dignissimam. Sed quamdiu hoc abnuis, tantisper vt prius concludas, non licebit. Eundem enim Deum, qui in virgine procreasse vobis fingitur, informem massam pro nascituro Christo caluinistico, nos catholici credimus, virtute sua trãsnaturali veram carnem corpusq; animatum, & proinde suis pulchrè distinctum organis & partibus heterogeneis, condidisse pro Christo catholico: vt verum maneat illud Ioannis 1. *Verbum caro* (non autem massa quædam exanimis) *factum est:* Et illud Symboli Nicæni: Et incarnatus est de Spiritu sancto: & illud Heb. 10. *Ingrediens mundum hostiam & oblationem noluisti; corpus autem aptasti mihi.* Vnde Basilius Magnus in oratione de humana Christi generatione: *Quod in ea* (inquit) *natum est, de Spiritu sancto est,* ait Euangelista Matth. 1. *Hinc deprehendi licet, quod non secundum communem modum carnis constitutio Domino fuit; conceptum namq; illico perfectum fuit, non per interualla paulatim formatũ, vt verba declarant. non enim dicit quod in ea conceptum est, sed quod in eo natũ est.*

Obiectiones prædicantis.

Filium Dei assumsisse corpus organicum.

Similia reperies apud Damascenum li.3. fidei cap.2. Theophylactum in primum Lucæ, Euthymium & alios. De quibus Suarez Tom.1. disp.13. in 3. D. Thomæ; sed & dic Prædicans si tibi momentaneam Christi corporis conformationem licet in dubium vocare, quid est quod Spiritus sanctus superueniens, ex virginis sanguine formauit? B. Augustino in lib. 83. quæst. q. 36. dicitur conceptio humana sic procedere, vt primis sex diebus, quasi lactis habeat similitudinem, sequentibus nouem conuertatur in sanguinem, deinde duodecim diebus solidetur, reliquis octodecim formetur vsque ad perfecta lineamenta omnium membrorum. Et hinc iam vsque ad partum augeatur. Dic prædicans, *dic quid horum omnium, aut si quid melius habes ex Fernelio & alijs medicis*, dic (quando postremum recipis) dic inquam quid ex his Spiritus sanctus produxit? visne lacteum illud vel sanguineum? non puto te adeo fore impium, vt de cõceptione inter miracula omnium diuinissima, & inter res diuinas miraculosissima, deque omnipotenti virtute Spiritus S. totiusque Trinitatis operatione in hoc prodigio nihil sublimius excellentiusq; sentias, quam humores nescio quos productos, à quibus sensim coalesceret corpus, quod quadragesim o primum die animaretur & sua priori spoliatum subsistentia ad Verbi hypostasin assumeretur.

Sed

Sed instas secundo *Spiritus S. eius miraculi nullam facit mentionem.* At in hoc etiam Prædicantem agis, qui oracula Spiritus S. antè posita aut ignores præ ingenij vecordia; aut dissimules ex malitia. Et vt mentionem nō feciſſet; quis tamen prudens huic conceptioni momentaneam istam (dignam Spiritus sancti actione, dignam Filij Dei incarnatione, dignam matre simul & virgine) corpusculi delineationem, animulæq; cum eo & verbo diuino vnionem abnegare possit? Quæ contra hæc præter impiam proteruiam ratio? quod hic argumentum in contrarium? Ex quibus etiam tertia tua ratiuncula cōcidit, qua Catholicæ doctrinæ iam propugnatæ quēris confirmationem. Longè consultius facies alias, si Chameleontem illum Bucerum de quò in thesi & alios, cum suis paradoxis & delirijs sibi relinquas, ne cum ijs in labyrinthos induaris. 2. Obiectio refutatur.

CAPVT III.

An, & quanta gratia anima Christi ab initio fuerit ornata.

VTi articulo præcedenti, de quo apodixi 2. c. 6. in materia de scientia animæ Christi, non habuit, quod solidè cōnstanterque in medium afferret; ita etiam in hac de gratia quæstione, sibi (quanto minus igitur alijs?) non satisfecit. Agnoscit §. 16. animæ Christi

adhuc in vtero Matris attribui à Catholicis sanctificãtem gratiam, quid vero ipse de hoc sentiat, non manifestat. Ait quidem §. 17. *fateor Christũ etiam puerum, imo infantem gratia & veritate plenum fuisse*: Sed vtrum de infante in lucem effuso, vel nondum nato loquatur, non explicat. Suspiceris eum, *qui non imaginatur*, vt ait, *miraculum, vbi scriptura eius expresse non meminit*: quiq; scripturæ loca sibi hac in parte contraria dissoluit, etiam negaturum Christo in vtero superfusam gratiam. Sed quicquid imaginetur res ita habet.

1. Christum in vtero sanctificatum & repletum gratia.

Primò, certum est animæ Christi mox vt creata fuit propter eius cum verbo vnionem collatam sanctificantem gratiam. Potest id facilè ex scripturis colligi, vtcunq; etiam eas deprauet hæreticus: Nam Ioan. 1. cap. Verbum caro factum est, & habitauit in nobis plenum gratiæ & veritatis. Plenum ait Christum gratia: quando? año ætatis sexto, duodecimo, vigesimo? nihil horum, sed mox vt Verbum caro factum est in Virgine, vtq; habitare cœpit in nobis effectus homo. Occurrit Prædicans §. 17. & ait, intelligenda ea de Christo adulto, & suis miraculis gloriam Apostolis conspicuam exhibente. Sed id est occurrere præter fores. Verba illa (& vidimus gloriam eius, gloriam quasi vnigeniti à Patre) per parenthesin sunt posita, & siue de Apostolis, siue de Magis & pastoribus in Bethlehẽm, qui similiter gloriam

Resp. Prædicantis.

riam Christi viderunt, quasi vnigeniti, siue de alijs intelligantur, non diuellunt ea quæ sequuntur à præcedentibus. Verum non aduertit hoc Prædicans, cui vox Græca πλήρης, quæ λόγον respicit & cum eo copulanda est, curæ non fuit. Secundò idem ex Isaiæ 11. colligitur, vbi postquam floris de Iessæ virgæ radice ascendentis mentio facta est, illico attexitur, vt connexionem gratiæ cum ascendente flore Christo obseruemus: Et requiescet super eum Spiritus Domini, fortitudinis, pietatis, timoris Dei. Tertiò ex Luc. 1. quod ex te nascetur sanctum (Audin' iam tum sanctum quando nascitur) vocabitur Filius Dei. Quartò ex Ioan. 10. quem pater sanctificauit, & misit. prius sanctificauit Christum Filium, posterius eum hanc in lucem misit. At non sanctificauit humanitatem sine concurrente gratia: Ergo etiam priusquam eum hanc in lucem misit, nō minus eum quam vel Baptistam vel Ieremiam in vtero sanctificauit. Sed quid in hoc hęremus? non sustinent piæ mentes cogitare, Dei Filium vnquam fuisse absq; gratia, vt quo nemo diuinior, nemo Patri cœlesti charior, nemo Deo fuerit coniunctior. At verò etiam virgineo thalamo adhuc conclusus, non modo virginis sed & Dei Filius fuit. Verus igitur Dei Filius Christus, etiam ante natiuitatem in gratia fuit.

2.

3.

4.

Humanam Christi vel gratiam fuisse à cōceptione.

Secundo, non minus liquidum est gratiam hanc tam fuisse copiosam, vt vberiorem non hominum modo quispiam, sed nec vllus Angelorum omnium sit indeptus. adde etiam, vt maior creatæ naturæ iuxta constitutos semel ordinarioſque diuinæ sapientiæ terminos infundi non potuerit. Ad hæc vero ringitur Prædicans: obgannit §. 16. *vnà cum ætate Spiritus sancti dona in Christo profecerunt.* & §. 17. *pro modulo ætatis & ad eius gradus plenitudo gratiæ attemperata fuit.* Eadem recinit in sequentibus planè ad Caluini in thesi recitati stomachum. Existimes eum Batti Sylphium reperisse; adeo in hac sua Christomachia se iactitat, proclamans §. 22. contrarium putare prorsus esse delirare. Sed parum abest, quin deliret ita loquens. Probatur primo, hoc vberiorem homini confert gratiam Deus, quò eum plus amat complectiturque. Neque enim vti noster amor sæpè inanis est, nihilque præter voluntatem propensam exhibet; ita Dei charitas est cassa inefficaxque. Sed hoc quod vult adamato bonum Deus sua potenti voluntate eidem præstat. At nullum vnquam hominem vel creaturam arctius aut amauit aut amare potuit Deus, quam Christum hominem etiam latentem in vtero. Nam etiam tum erat filius dilectus, in quo ipsi erat complacitum; etiam tum gratiam vnionis obtinuerat, & Deus simul & homo effectus fuerat. Contulit igi-

Caluinianus Christus proficit in gratia.

1. Ratio.

igitur homini Christo diuinitas pro suo in eum amore gratiam quantam anima potuit capere maximam. 2. Angelorum hominumq; capiti tanta debuit conferri gratia, propter eam quam præ omnibus mẽbris excellentiam obtinere debet, ad quantã Cherubini ac Seraphini cũ omnibus beatorũ choris nõ possint aspirare, ne quando membra exæquentur capiti. At Christus, mox vt conceptus fuit, caput omnium beatorum spirituum, hominumque extitit, ad Ephes. 1. cap. summam igitur maximamque quæ dari potuit intra mensuram à Deo constitutam gratiam statim à conceptione sua consecutus est Christus. 3. Concedit Prædicans disp. Apolog. 2. §. 32. ex Caluini sententia beatificã visionis scientiam animæ Christi adhuc latentis in vtero. Hoc vt libens pro vero accipio, ita illud quæro, vtrũ hæc scientia Christi cesserit scientiæ beatificę angelorum? Cessisse non facilè dixerit, nisi simul caput membris cessisse in visione velit, si igitur non cessit, vtique nec in gratia, quæ gloriæ visioniq; beatæ principium est quicquam ijs concessit, & si non ampliorem, ad minimum Thronis atque Archangelis parem possedit gratiam. 4. Hanc veritatem docent sacræ scripturæ cum aiunt Ioan. 1. *de plenitudine eius* (qui caro factus est & habitauit in nobis, plenus gratiæ & veritatis) *nos omnes accepimus*, & capit. 3. *quem misit* DEVS,

2. Caput emi net scientia, sapientia, & gratia alijs membris.

3.

4.

verba

verba Dei loquitur, non enim ad mensuram dat Deus Spiritum. Trahit quidem hæc verba prædicans ad Apostolos, & omnes fideles, sed prædicanticè & ineptè. Quandoquidē & sequentia & præcedentia, & tota Ioañis oratio, apertè de Christo loquitur. Adde quod Apostolis sit data gratia ad mensuram, vt qui ea dono, non natura: largitione, non generatione vti Christus, qui Filius Dei incarnatus fuit: secundum partem, nō totam habuerint; iuxta illud Ephes. 4. v. 7. vnicuiq; nostrum data est gratia secundum mensurā, donationis Christi. Omitte Euthymium Græcum legisse; *non enim huic* (Christo) *ad mensurā dat Deus Spiritum.* Perabsur. dè autem hic refugit ad adultā Christi ætatem Prędicans. Si enim incarnato dedit ad mensuram, quando *post dedit* non ad mensuram? quomodo verum esse potest, non dat Christo Spiritum ad mensurā, si dedit eā ipsi cōcepto in exigua aliqua mensura? An tum contra Apostolū verum nō erat dicere; Deus dat Christo spiritum in mensura? Pulchrè ad hæc allusit D. Hieronymus in cap. 11. Isaiæ scribens: *Quia in ipso placuit inhabitare omnem plenitudinem diuinitatis nequaquam per partes vt cæteris sanctis, sed iuxta Euangelium illorum, quod Hebræo sermone conscriptum legunt Nazarei: Descendet super eum omnis fons Spiritus S.* Et Damascenus lib. 3. de fide ca. 22. *Ditata est illa humanitas propter vnionem ad verbum omni sapientia & gratia.* Idem alij Patres cōfirmant, vt nisi depuduisset Prędicans, meri-

Resp. Prædicantis refellitur.

Deus dat Christo Caluiniano Spiritū ad mensuram.

merito erubescceret ad suas ineptias, de S. Stephano etiam pleno, de Zacharia & Ioanne Baptista item plenis; quasi non eorum plenitudo sit secundum quid & ad mensuram, ista vero Christi simpliciter sit plenitudo, qualis debita fuit θεανθρώπῳ hómini deificato, & infini tè digno. Nec est quod expectet sibi responderi, ad ea quæ pro defendendis caluini locis corrasit de gratiæ Christi augmento. Verba sunt & præterea nihil. Iam supra dictum est Christum profeciſſe, non secundum gratiæ sapientiæq́ habitum, sed quoad eius effectum, & ostensionem.

Sancti pleni gratia fuere pleni tudine sufficientiæ, virgo mater plenitudine prærogatiuæ Christus plenitudine superabundantiæ.

THESIS DECIMASEXTA.

Iam vero Natiuitas sic habet, vt natus sit ex Maria non virgine. Reiecto enim Papistarum figmento, *ait Molinæus* in Harm. 4. Euang. part. 3. quod filius eius vt radius solis per vitrum, sic per vterum illæsum transiuit; dicẽdum & credendum est, quod naturaliter ruptis obicibus, *id est clausſtro & virginali integritate læsa*, & apertis locis exiuit ac natus est, & quod diuulsus distractisq́ vteri partibus (Beza contra Brent.) egressus sit. *Proinde non est quod miremur, si ex partu vti cæteræ mulieres in peccatis conceptæ, & cõcipientes, maledictionigꝫ Euæ obnoxiæ; ita & ipsa benedicta Mater Iesu infirmata sit, eagꝫ causa eius in Ægyptum fugam Deus tantisper, dum è puerperio reualesceret, viresq́ itineri necessarias repararet, distulerit. vt nihil diuinum cogitans philosophatur Cal-*

uinus in Harm. ad c. 2. Matthęi. *Nec interest in fide Euangelica secundum Euangelium Bezæ* in præfat. noui testam. (*in quo nulla diu potest incorrupta virgo perstitere*) *vt post Christum natum in virginitate vixerit. Illud scire pretium est*, quod non malignè minus Dei potētiam, quàm Zacharias restrinxerit, Calu. in ca. 1. Luc. v. 34. quod fines suos sæpè excesserit, Calu. in cap. 12. Matth. & Luc. quod intempestiuè festina fuerit; (Ibid.) quod superba Deo se prætulerit; in c. 2. Luc. in Harmon. quod quo tempore morienti in cruce Filio ex ardētissimo amoris affectu astitit, in primum, quintum, sextum, nonum Decalogi præceptum peccârit mortaliter (Buny. in exercitio Christian.) *Prō! quàm beata iudicio Caluinianorum vbera, quæ suxit Dei Filius; quam gratia plena, & benedicta inter mulieres Mater Domini; quàm fecit genitrici suæ magna, qui potens est & sanctum nomen eius!*

CAPVT IV.

Matrem Christi Caluinistici non esse Virginem.

Requisita ad perfectā virginitatem.

VT perfecta sit quæpiam virgo, duo requiruntur: vnum in mente, alterum in corpore. In mente necessaria est voluntas seruandi integritatem castitatemq; vt Docet D. Thom. 2ª. 2æ. q. 152. in corpore requiritur integritas

tegritas clauſtri virginalis: illa violatur interno animi propoſito dandi operam liberis impudicitiæq;: Hæc, vt naturalis eſt perfectio, tollitur quacunq; voluntaria inuoluntariaq; licitaue illicita virginei clauſtri diſruptione. Caluiniſtæ Chriſti matrem nec animo, nec corpore virginem eſſe ſinunt. Sed eam in ordinem rediguntcæterarum puerperarũ. Nam de virginitatis eius propoſito ita Caluinus in Harmonia ad 1. Lucæ philoſophatur: *perfidè Mariam paſſam fuiſſe ſe marito collocari, ſanctumq; coniugij fœdus non ſine Dei ludibrio ſpreuiſſe, ſi conceptum habuiſſet virginitatis votum.* Idẽ ſe cõtinendi à coniugali opere, propoſitum, alij etiam illi adimunt Caluiniſtæ ex eo, quod ſe ſubiecerit Matrimonij vinculis; vt proinde virginem animo non eſſe Mariam Caluiniſticam dubitari non poſſit. Ad corporis integritatem veniamus, quam cum Crœllio ruptam in partu clamitat Prædicans §. 72. primæ diſput. Apolog. Habemus igitur etiam Prædicante teſte virginitatis ſignaculum à Chriſto naſcituro diruptũ, & quod inde ſequitur habemus nouum execrabilis Iouiniani diſcipulum Vorſtium, qui matrem Chriſti virginitatis laurea deſpoliet. Neq; enim virgo eſt, in cuius mẽte corporeq; integritas virginalis nõ eſt, quęq; in partu & poſt partũ nõ minus quàm maritatę aliæ virginitatis clauſtro orbata eſt. Nec refert à quo rupta ſit: vt enim excœcatus dicitur cui lumẽ adẽptũ eſt, ſiue id à fulmine, ſiue ab hirũdinis excre-

Caluiniani Chriſti mater non eſt virgo mente.

Etiam virgo non eſt corpore.

excremento, siue diuina vltione, alióue modo sit factum; ita corrupta in carne est, quæ vndecunq; etiam rupta est, virginitatisque signacula amisit. Sed quia conatur prædicans suam de virginalis thalami apertione impietatem comprobare §. 72. necessarium erit vt hic etiam contra eum intemeratum virginis florem tueamur. Fecerat id ante Canisius lib. 2. de Beata Maria, Suarez Tom. 2. disp. 5. sect. 2. Valent. lib. 3. contra Fortunatum Crœllium cap. 2. Bellarm. 3. de Eucharistia cap. 6. Sed hæc clausis oculis præteruolat, & cum Heluidij aliorumq; hæresiarcharum veteramentis prodit. Audiat igitur scripturam Isaiæ 7. Virgo concipiet & pariet filium. *Non enim* (vt prę-clarè inquit D. Ambros. Epist. 81.) *concepturam tantummodo virginem, sed & parituram virginem dixit.* Et B. Augustin. ex serm. varijs de Natali Domini: *Inuiolata peperit quia in conceptu libido non fuit. Vtrobiq; miraculum & sine corruptione grauida, & in partu virgo puerpera.* Audiat Ezech. ca. 44. Hæc porta clausa erit & non aperietur. *Quæ est hæc porta*, ait B. Ambrosius lib. de Instit. Virginis cap. 7. *nisi Maria? ideo clausa quia virgo? Porta igitur Maria per quam Christus intrauit in hūc mundum, quando virginali fusus est partu, & genitalia virginitatis claustra non soluit. manſit intemeratum claustrum pudoris, & inuiolata integritatis duraueré signacula cum exiret ex virgine, cuius altitudinem mundus sustinere non posset.* Et cap. 8. *Bona porta*

Virginem matrem inuiolatam & absque corruptione peperisse.

porta Maria, quæ clausa erat & non aperiebatur, transiuit per eam Christus & non aperuit. Audiat Angelum Luc. 1. Spiritus S. superueniet in te & virtus altissimi obumbrabit tibi. Simul audiat Constantinopolitanæ Ecclesiæ lumen Chrysostomum hom. 2. in symb. *Credite in Dominum Iesum Christum natum de Spiritu S. & Maria virgine. Sed dicturi vobis sunt Gentiles* (Caluinistæ) *deprauantes fidem vestram. Quomodo potuit virgo concipere, virgo parere, & virgo permanere? contra naturam hoc est, dicturi vobis sunt, & vos è contrario respondebitis eis, quod verbis explicari non potest fides tenet.* Audiat denique symbolum Apostolorum, quod de Christo inquit: Natus ex Maria virgine, & D. Augustini simul interpretationem accipiat in Enchirid. ca. 34. *Si vel per nascentem corrumperetur eius Mariæ integritas* (vt Caluinista ait) *non iam ille de virgine nasceretur, eumq; falso, quod absit, de Virgine Maria natum tota confiteretur Ecclesia.* Hęc Apostolorum, hęc Doctorum veterum vnanimis semper doctrina fuit. Hinc Origenes in vigilia Paschæ hom. 1. *Virgo genuit & virgo permansit, mater filij facta est & castitatis figillum non perdidit. Quare? quia nō homo iste tantum qui videbatur, sed vnigenitus erat Deus, qui in carne aduenerat.* Item Gregor. Nazianz. in Tragœd. de Christo patiente, *Clauso sepulchro surgens exijt, velut ante ea infracta seruans claustra quàm castissimè.* Cyrillus Ierosolymit. oratione de occursu Christi & Simeonis: *Solus*

Christus citra vllam offensionem virgineorum claustrorum in lucem editus est, Euseb. Emiss. hom. in verba: Ecce quam bonum. *Quia corruptionis iniuria non fuit in conceptu, ideo integritas perseuerauit in partu. Quam cœlestis puer non perrupit dum cõcipitur, non potuit violare dum nascitur.* Missos facio cæteros apud Valentiam & alios magno numero citatos qui penetrationé corporum in natiuitate Christi agnoscunt. Sed dicet aliquis: etiam Prædicans allegat scripturã Exod. 13. & Num. 8. Sanctifica mihi omne primogenitum quod aperit vuluam in filijs Israel. Etiam Prædicans Tertullianum & Origenem, suæ sententiæ testes laudat. Quasi verò scripturam Patresque Sanctos alio citet modo, quàm quo iste omnium *Pseudoprophetarum doctor, qui ad Christum* in eremo dixit scriptum esse: Angelis suis mãdauit de te, &c. Nusquam hoc scriptura tectè vel apertè indicat, quod bubengelium contendit Caluinianum de corruptela virginitatis in matre Christi. Ait quidem Euangelista Luc. cap. 2. Omne masculinum adaperiens vuluam sanctum Domino vocabitur, indeq; colligit parentes puerum Domino sistere voluisse. Sed quid inde? Etiam ad B. Virginem applicatur ibidem à Luca illud Leuit. 12. Mulier si susceperit semine pepererit masculum, &c, ipsa triginta diebus manebit in sanguine purificationis suæ. Neque tamen propterea dicet opinor

Obiectio Prædicantis.

Dilutio.

Solut. 1. Christus adaperuisse vuluam intelligitur sicut virgo mater susceptо semine peperisse.

nor Prædicans, eam non è Spiritu sancto sed susceptо semine concepisse. Loquitur Moyses de conceptione partuque naturali hominum, sed ea pro instituti sui ratione vsurpat & accommodat Euangelista ad conceptionem & partum supernaturalem Christi, non quasi par sit ratio vtrarumque natiuitatum, sed quod humilitas Matris filijque non respuat præferre nobis omnia exempla submissionis. ne in ijs extollamur quæ habemus à Deo charismata parua: vbi Mater virgo se deprimit in illis, quæ obtinuit priuilegia maxima. Deinde nec insinuatum à B. Luca elogium Moysis requirit, vt verè vuluam aperuerit. tantum quia primogenitus erat eum Domino sistendum volebat. Et quia primogenitura filiorum Israël ordinario naturæ cursu sine hac apertione non erat, vtrumque coniungit Moyses, quorum alterum ab altero veniens in hunc mundum seiunxit Messias, factus primogenitus virginis sine apertione matris. *Quemadmodum enim*, ait Damascenus li. 4 fidei c. 15. *qui cõceptus est, etiam virginem concipientẽ seruauit illæsam, sic & natus virginitatem seruauit illæsam. Solus transiuit per eã & clausam seruauit. manet igitur & post partũ virgo & semper virgo.* Ad hęc cur nõ etiam aperire vuluã, ad eũ intelligamus modũ, quo ipsa se explicat scriptura Gen. 29. cum ait: videns Dominus, quod despiceret Iacob Liam, aperuit vuluam eius soro-

2. Solut. S. Luc. vult solũ, Christum fuisse sistendum Domino an etiam aperuerit vterũ nihil ad eius prõ positum.

3. Aperiri vuluã est è sterili fieri fœcũdam & matrem, nec requirit realem apertionem

sorore sterili permanente? Non potest hic aliud per apertionem illam accipi, quam fœcunditatem apertæ iam sed sterili mulieri dari. At quid magis sterile quam virgo permanens virgo? dato igitur filiolo virgini, virginis etiam vulua rectè dicta est aperiri. Deinque Christum vuluam aperuisse est, non eum phantastico modo, vt Marcionistæ & alij quidam sunt arbitrati, in mundum prodijsse, sed vera realique natiuitate processisse, à qua tamen non abfuerit summum maximumque miraculum. D. Hieronymus Dial. 2. contra Pelagianos: *Solus Christus portas vuluæ virginalis aperuit, quæ tamen clausæ iugiter permanserunt.* Vt autem aperuit quod clausum permansit? Nimirum, vt ait Euthymius Luc. 2. *Solus Christus nondum apertam, supernaturaliter aperuit & clausam naturaliter seruauit.* Nec aliud volunt Patres, si quando patefactum vterum virginis innuunt, quam filium eius, ita egressum virtute diuina, ac si patefacta ipsi essent omnia, vt non de vera apertione, sed de apertionis effectu loquantur, quodq; qui primo nascuntur viam alijs post se nascituris aperire videantur. Quanquam nec illi verè aperiunt, quod corrupta in conceptione virginitate, iam apertum offendunt. Solus Christus virginea signacula integra reperit, solus per ea nihil violata exiuit. Hinc Amphilochius hom. in hypapantem. *Quantum pertinet ad virginalem natu-*

naturam, virginis claustra nullo modo aperta sunt, quantum vero ad potentiam geniti Domini, nihil ei clausum, omnia aperta. Ex his Ambrosium, Chrysostomum, Hieronymum, Origenem iure summo interpretamur, locis ab hæretico Prædicante aliorsum detortis. Idem de cæteris, si qui sint, dicimus, vnum tantum excipio Tertullianum, cuius priuatum hoc præter alia apud Pamelium in Annotat. extitit paradoxum. *Sed si ipsa vetustate* (ait Vincentius Lyrinensis lib. aduersus hæresum nouitates) *lapsus alicuius vel aliquorum Doctorum deprehendatur, Patrum aliorum eadem de re sententia conferantur, atque ex maiore illorum consensu proposita quæstio iudicetur.*

CAPVT V.

Mariam Caluinisticam Euæ instar cum dolore peperisse.

EAndem matrem Christi Caluiniani peperisse cum dolore aliarũ more mulierum, probatur 1. Vteri diuulsio disruptioq; nõ est sine dolore. At in lætissima pueruli Iesu Natiuitate secundum dictos Caluinistas facta est, & quidem tum primum, virginei vteri disruptio. doluit igitur mater, dum cœlum terraq; præ lætitia ob natum Deum exultant. 2. Probabile est (ait Caluinus ad cap. 2. Matth.) *Deum Mariæ* (Caluinisticæ) *peperisse, donec & puerperio* Maria Caluinistica dolet ex partu benè diu.

perio conualesceret, vt iter facere posset. Iter autem illud in Aegyptum primũ accidit post Magorum digressionem. Tanto igitur tempore miseram matrem Christi Caluinistici indiguisse ad recuperandas vires amissas, probabile est Caluino eiusque catulis. 3. Caluiniana Maria lege communi peperit, vt ait Bucerus de omnipotentia Domini apud Feuardentium lib. 4. Theomach. cap. 2. lex vero ista communis est. Gen. 3. Multiplicabo ærumnas tuas, in dolore paries filios tuos. Nec ab hac lege potuit eam eximere, vel quod non concepisset ex viro cum peccato, vti cæteræ solent fœminæ, vel quod Deum simul & hominem pareret, quod nulli datur fœminæ, vel quod esset gratia plena, benedicta inter mulieres, & à peccato præseruata antequam nata, quod de nulla alia constat fœmina. Circa hæc occinit prædicans: *impudens sanè mendacium Iesuiticum, quod dicatur* (à Iesuitis) *Caluinus velle, à Maria conceptum in peccatis Christum Dominum.* Barbare, etiámne paucula verba Latina non intelligis? vbi? quibus verbis id asscribitur à Iesuitis Caluino? relege thesin & dic, impotentissimè ipsemet de Iesuitis mentitus sum.

CA-

CAPVT VI.

Caluinistis parum interest an post partum Maria manserit virgo.

AN autem postmodum augustissimum illud Spiritus S. templum, Filijq; Dei tabernaculum etiam Angelis reuerendum, virgo inquam Maria sit à Ioseph cognita contaminataque de eo parum est Caluangelio laborandum; quia nihil contra fidem Caluinisticam facit, si quis credit, quod virgo Maria post Christum natum liberis procreandis operam dederit. Ignosce lector hæc recitanti & simul agnosce emissarios Caluinisticos, omnia suis libidinibus quantum possunt defœdantes. Bezæ sunt istæ sordes in præfat. Noui Testamenti: *parum interesse in fide Euangelica, vt post Christum natum in virginitate extiterit.* Pseudomartyris in comment. in capite quarto ad Roman. est impuritas & impietas: *Quod virgo perpetuo manserit, Maria, cum id sacræ literæ non affirment, non recipiendum inter ea quæ necessario credi debent.* Huius Prædicantis est vanitas hic §. 29. eos omnes temeritatis & superbiæ accusare, *qui vt necessarium aliquod dogma tradunt, Mariam sicut ante partum ita & post partū perseuerasse virginem.* Nimirū Caluinianis Prædicātibus totis in sanguine cœnoq;

Caluinistis incerta est Maria à partu virginitas.

Amissa semel virginitas nō recuperatur postmodū at Caluinia na Maria eam amisit in partu.

voluptatum ſubmerſis non probatur promiſſio virginitatis perpetuæ in Chriſti Matre, de qua Suarez Tom. 2. diſp. 6. nō ferunt exēplum tātæ caſtitatis ante oculos, quibus cōiugij vſus non minus cenſetur neceſſarius, quam cibus & potus: non audiunt concilia, hac de re grauiter ſancteque decernentia ex Spiritu Sancto, & virginitatem Mariæ ante partum, in partu, & poſt partum intemerabilem teſtantia. Vide Synodum 5. can. 6. & Synod. 6. artic. 11. & 7. act. 3. Diſplicent ijs Patres, quos recenſet Caniſius in ſuo de beata Maria opere. Sed repudient vbi & quando volent cætera omnia, illud tamen Ezechielis 44. cum vnanimi veterum doctorum explicatione myſtica non conuellent: *Porta hæc* (Virgo Maria) *clauſa erit & vir non tranſibit per eam, quoniam Dominus Deus Iſrael ingreſſus eſt per eam.* Vide Hieronym. Dialog. lib. 2. contra Pelag. Auguſtin. ſerm. 2. & 14. de Natiuitate, alios. Nec illud Reginæ cœli verbum ſtultitiæ redarguent, cum dicit: *quomodo fiet iſtud* (vt vnquam vllóue modo concipiam pariámue filium) *quia virum non cognoſco*, aut (pro quo ponitur) quia virum cognitura non ſum.

CA-

CAPVT VII.

Flagitia & peccata quædam Mariæ Caluiniſticæ.

NEc vero Chriſti Mater poſthæc vſq; ad finem vitæ abſq; peccatis ijſq; grauibus vitam traduxit, prout ex teſtimonijs in theſi citatis videre eſt. Quorum peccatorum obiectorum ex Harm. Caluini primum ad 1. Luc. verſic. 34. *obiectio eſt*, ait, Prædicans: Rectè. Sed huic obiectioni ſic reſpondet Caluinus: *non magnopere laborandũ eſſe, vt Mariam ab omni vitio purgemus.* Quo ipſo ſuæ pietatis ſcilicet affectum in Deiparam manifeſtat, dum fatetur vitia in Dei Matrem peccataq; cecidiſſe, idque confirmans & eam ſimul culpans: *fide enim* (ait) *tranſcendere debuit ad immenſam Dei virtutem, quæ minimè alligata eſt naturalibus medijs. Nunc autem in vulgari generationis modo ſubſiſtit.* Alterum vero locum in com. Caluini ad 2. c. Ioan. v. 3. inuenit viditq; expreſſis poſitum verbis, *Mariam in eo peccaſſe quod fines ſuos exceſſerit:* Sed addit, in eo dicto quid eſt mali? ô ſtupiditatem, quę hominem nedũ virginem matrem, in aliquo peccaſſe nõ aduertit eſſe malũ. Addit etiã ibid. Calu. *Quod ſollicita eſt Maria de aliorum incõmodo, & mederi quoquo modo cupit, hoc humanitatis eſt & virtuti dandum. Sed interea ſe ingerendo* (orando pro neceſſitatibus ſponſi & ſponſæ) *Chriſti gloriam obſcurare poterat.* Agnoſcis Ma-

Chriſti Caluiniani mater grauiter ſubin de peccauit.

Caluinus B Virg. negat purgandam à peccatis.

Caluinus corrigit D. Virginem.

Maria excedit fines ſuos.

Obfuſcat Chriſti gloriam intercedendo.

riomastigem. De tertio quæritur non in Harmonia apud Matth. c. 12. ad vers. 48. à se repertum, sed in comment. ad Ioan. cap. 2. versic. 4. vbi Caluinus scribit: *matrem insimulat Christus, quod intempestiuè festinet, & eam in vulgarem mulierum ordinem cogit, nec iam matris nomine digna-tur.* Laudo in hoc Prædicantem quod sui Patriarchę malignum vlcus non notatum detegat: sed non laudo quod ad ostensum digito carcinoma in Harmon. ad cap. 12. Matth. versic. 48. cœcutiat, mordeatque aduersarios, quod citârint malè in quo fœdè ipsemet impegerit: Caluini enim verba ab ipsis citata sunt: *Non dubium est, quin his verbis* (Quæ est mea mater) *carpatur Mariæ importunitas, & certè præposterè cursum doctrinæ eius abrumpere tentabat.* Ita in Harmon. Anno 1582. Geneuæ impressa, loco cit. quibus oblatrâtis huius Caluini sequę os opprimit. Etiam quartum deprehendit testimonium. Luc. 2. v. 48. hunc in modum expressum; *mori quidem cętes maluisset sancta virgo, quam ex certo animi proposito se Deo præferre. Sed dum materno dolori indulget, per incogitantiam eo delabitur,* (vt se præferat Deo) Adde his ex Canisio in Mariali Brentium hom. 78. in Luc. 1. *Multa,* ait, *argumenta indicant matrem Iesu & cognatos euocasse Iesum, arrogantia quadam & elatione animi:* &: *Mater & cognati Iesu ambitione sua tam grauiter peccant, vt etiam palam per Christum pudefiant.* Non his dissimilia Oecolampadius effu-

Intempesti uius festina est, & in ordinem vulgarem mulierum cogitur.

Importuna est.

Se Deo præfert per incogitantiam.

Arrogans & elata est.

tijt

tijt in cap. 2. Ioann. Melanthon vero cupediæ Prædicanticæ annotatione in caput secundū Ioann. *Christus* ait, *matrem reijcit, vt æquet eam alijs hominibus, & inquit; scias te non plus esse apud me quam, vel mulier peccatrix est, vel Syrophœnissa.* Quid hic amplius desideramus? etiámne adijciam infernales istas voces Spangenbergij in Postilla, *propter amissum filium eam dignam fuisse supplicio sempiterno? eam nihil aliud, quam extremam internecionem. & perpetuam damnationem*, vt ait Brentius, *meruisse?* omittam modo blasphemias Buny in exercitio Christiano pag. 369. ne rursus eum, vti in sua fecit Apologia §. 36. Vorstius prædicantica metamorphosi transformet in Bullingerum, & pro Anglo Heluetium, pro quatuor peccatis mortalibus, quatuor tentationes ad peccata Superattendentiali licentia supponat. Si ignorabas (vt ais) malitiosè calumiator, quid hominis esset Caluinianus iste in Anglia Minister; si nesciebas quid libri foret, Exercitium Christianum Buny, si non legeras opus hoc Ministrorum Principi & Archiepiscopo Ebracensi Caluiniano dedicatum, quid Iesuitas de eo mentitos asseueras? non vidisti librū, ne quidem fando nomen audisti: vnde igitur habes in eo nō esse citata à Iesuitis? quę hęc tua impudentia, etiam plus quam Caluiniana, in eo mēdacij aduersarios insimulare, de quo scias planè nihil?

Maria æqualis mulieri peccatrici in Euangelio.

Digna est inferno.

Vorstius vt cœcus de coloribus, iudicat, quæ ignorat prorsus

nihil? Itáne præ odio immani in Ieſuitas abreptus es à te ipſo, & ab omni ratione, vt videre non poſſis, vel ex hoc vno loco tuam in calumniando mẽtiendoq; libidinem etiam luſcis fieri conſpicuam? Sed & alios quid excuſare paras, quaſi matrem Dei non perſtrinxerint, quando tute § 40. ais: *Qui omnia omnino peccata quantumuis exigua penitus à Chriſti matre excludunt, eos errare errorem valdè pernitioſum* & §. 41. *eam in peccato originis conceptam, & nonnunquam aliquod actuale peccatũ admiſiſſe.* an non & hoc eſt grauiſſima macula Deiparam cõſpurcare? Audi Auguſt. lib. de natura & gratia ca. 36. *cum de peccato agimus, nullam de virgine matre haberi volo quæſtionem.* Quibus aſtipulatur D. Bern. ſerm. 2. de aſſumpt. & Epiſt. 174. *abſit*, inquiens, *vt proprij quicquam inquinamenti, hæc aliquando habuiſſe dicatur.* Vide Suarez Tom. 2. in 3. part. D. Thom. diſp. 4. ſect. 4. Bellarm. lib. 4. de amiſſ. grat. cap. 16. Quod ſi autem magis te recreat tuus Mahometus Caluinizans, accipe ex Magdeburgenſibus centuria 7. cap. 15. col. 607. Azoar 31. & 5. de quibus in theſi 17. Ibi Chriſti Matrem, & Virginem, & ab omni culpæ malo liberam dici à Mahomete intelliges. Quid? quod etiam (ſi patientem præbeas aurem lallantibus Catholicorum puerulis) ij à Gabriele edocti docere te poſſint, Mariam fuiſſe gratia plenam, à quà plenitudine peccatum excluditur. Ita enim Magnus tibi tuus enarrat

Voſtio mater Dei peccauit.

Luthe-

Lutherus Postilla in Annunciationem: Maria plena est gratia, per quod omnis peccati pura cognoscitur. Intellextin' hoc Prædicans? Non Hieronymi alicuius, non Thomæ cuiuspiam vox hæc est, sed tuus ita explicat Magister Lutherus, post Athanasios, Sophronios, Hieronymos, aliosq; Patres citatos à Suarez. Acquiescésne iam si non sanctis Patribus, saltem auo tuo Luthero? non inquis §. 38. *quia in Græco est* κεχαριτωμένη. apposité. Gabriel Græcè scilicet est locutus in Iudæa ad virginem græca non intelligentem, sed tamen intelligentissimè ad interrogata respondentem: Virgo Hebræum vel Syriacum sermonem tantum callebat, & tamen prudenter Angelo græcizanti occurrebat, credebat, acquiescebat. Attamen κεχαριτωμένη græcus habet textus. Sit ita. rem ipsam exprimit, & id quod Latino nòstro consentiens indicat Syriacus, *maleath tabuta*, quodque tam Græci quam Latini Patres vno consensu contra Nouatores recipiunt, vt sit idem, quod gratia plena. *Quæ expositio si* (vt ais) *merito hic non tenetur abs te*, quem vis vt in transferendo sequamur? An Erasmum & Bucerum, qui reddiderunt, pro gratia plena, gratiosa? At eos explodit Beza sacramento affirmans dicendum gratis dilecta. Num Bezam igitur? sed eum non audit Castalio vertens, Deo grata. Rursum non conuenit Caluino cum castalione, & ob id exponit, gratiam consecuta. Bullingero pla-

Luthero caret Marię peccatis.

Obiect. Refutat.

Quid sit Mariam gratia plenam.

Vertigo Reformatorum Sacramentariorum

placet gratificata & dilecta, alijs arridet vel gratis iustificata, vel gratis dilecta, vel in gratiam recepta, & quid non? mille opinionum ſpecies, nec voto viuitur vno in Caluiniſmo: quot capita tot ibi ſententiæ: quot grãmaticorũ deliria, tot ſacroſancta interpretamẽta ſunt Sacramentariorũ. Vna Catholicæ Eccleſ. vox fuit,, eſt, & erit. Aue gratia plena, ſed plena vt fluui⁹ ex pleniſſimo gratię fonte Chriſto deriuatus, ſanctoſq; cęteros ſua plenitudine exuperãs, haud aliter ac plenos riuos excedit fluui⁹.

THESIS DECIMASEPTIMA.

COROLLARIA. I. genuinum articulum Caluiniſequarum hunc eſſe: QVI CONCEPTVS SPOLIATVSQVE GLORIA EST DE SPIRITV SANCTO, NATVS EX MARIA NON VIRGINE.

Turcæ melius de B. Maria quã Caluiniſtæ ſentiunt.

2. *Turcas multò ſanius ſentire de hoc articulo; quàm Caluiniſtas Eorũ enim Azoar 31. eſt: Omniũ mulierũ optimæ Mariæ, ab omnib. intactæ, animam ſuam Deus inſufflauit, & illã Filium q̃, eius manifeſtũ gentib. miraculum poſuit. Et Azoar 17. Maria nunquam aliquid mali, ſiue malitiæ operata eſt. 3. Caluiniſtas fuſtuariũ apud Turcas non euaſuros. Teſtis enim Theuet* lib. 8. Coſm. c. 2 *apud Mahumetanos hanc conſtitutionem eſſe, vt ſiue quis Chriſtianus, ſiue Maurus ſiue Arabs, ſiue Turca Chriſtum (illud verbum Dei) quem virtute Spiritus S. à Maria Virgine procreatum credunt; vel etiam ipſam Virginem, quam Deus creaturis omnibus puriorem fecit & excellentiorẽ, blaſphemauerit, præter multam pecuniariam, ſexaginta fuſtuarij plagas ſuſti-*

Fuſtuariũ à Turcis mereturCaluin.

sustineat. Non sit vel sustium copia satis ampla, vel inopia è multis pecuniarum, si hæ pœnæ introducantur in Christianismum contra Caluinianos.

CAPVT VIII.

Mendacia Prædicantica circa hanc thesin.

ITa est, vnum existit tota Apologia Vorstiana quasi farcimen conuitijs mendacijsque confertum, & ad illud caput poterant omnia vti hactenus vidisti, Lector, referri. Sed æquum non est ijs numerandis pretium temporis impendere: Satis est superque si quandoque per interualla ex ijs aliqua subijciamus tuis oculis, quibus calumniatorem Prædicantem manifestæ falsitatis cum impudentia malitiaq; extrema coniunctæ damnes.

1. Mentitur art. 3. §. 37. *Quod Pontifex Romanus sit sedens in templo Dei tanquam Deus.* Sedet vt Dei vicarius, & seruus seruorum Dei.

2. Mentitur §. 40. *Cum negat Caluinistas vel tantillum de laudibus Sanctæ Mariæ detrahere.* Detrahunt plus quam Mahometani, dolorem partus aliaque ei affingentes, vt ostensum est modo.

3. Mentitur ibidem, *Mariam putari à Catholicis impeccabilem.* Peccare pro arbitrij sui libertate, & ab intrinseco potuit, sed vt peccaret, Deus Spiritus sancti donis auxilijsque eam præueniens & subsequens, non permisit.

4. Men-

4. Mentitur §. 41. *De omnibus pijs scriptū, quod & peccato originis impliciti fuerint, & actuali peccato leuiter interdum se macularint.* Vbi enim (vt relinquamus D. Virginem) perscriptum Ioannem Baptistam actuali peccato fuisse inquinatum? peccasse quandoq; non diffiteor, peccati vero redargui vspiam in scripturis singulatim inficior. Esto interim vniuersales quasdam dari propositiones, sed eæ exceptionem patiuntur, cum nulla regula tam sit firma, à qua non quandoq; aliquid excipias.

5. Mentitur tripliciter §. 42. cum corollarium primum thesis 17. *triplex* ait *esse mendacium*, & optat *vt comprimat Deus os impudens*. Nã quid verius quam quæ in illo corollario dicuntur? Nonne Christus conceptus est de Spiritu sancto? nonne per conceptionem factus est mediator Dei & hominum, subiectusq; Patri cœlesti secundum Caluinum, quando ex æquali inferior est effectus diminutusq; quoad gloriam? de quo supra Nonne ex non virgine natus est, qui virginitatis clausstris disruptis genitus est? Hic operæ pretium est, obseruare in Prædicante spiritum vertiginis, qui (vt solent vertiginosi) cum ipse sibi mente nõ constaret, alios putauit rapi vertigine, nec intellexit germanica ista. Der empfangen ist vnd seiner Glory beraubt von dem H. Geist / geboren auß Maria nicht Jungfrawen. id est, qui conceptus est de Spiritu Sancto, spoliatusque

ab eo

ab eo gloria, natus ex Maria non virgine. Hæsit Prędicans & pro cõceptus putauit primum legendum concerptus. putes oblitum fuisse symboli Apostolici: post vero sic ineptit. Si à Spiritu S. est conceptus, ergo nõ per eum gloria spoliatus est. O lithinum, ó farcimineum acumen. Euolue Chrysippe has propositiones prædicanti, vt eas intelligat: Si Christus per conceptionem de Spiritu S. factus est Mediator Caluinisticus (quo maior est Pater, vt Apodixi 2. ostendimus) Ergo Christus opera Spiritus sancti minor Patre est effectus: & quod idem est, spoliatus est à Patre æqualitatis gloria, quam habuit ante sæcula. At Christus per conceptionem de Spiritu S. Caluinisticus Mediator est factus, ergo etiam opera Spiritus sancti minor patre est effectus. Adhuc Prædicans stupes & non intelligis, quid colligatur?

6. Mentitur oppido pudendè §. 46. scribens idololatriam manifestã in Maria præposterè colenda pro Dea à Papistis exerceri. Orthodoxis Maria mater Dei est lectissima, non Dea, pro matre Dei honoratur, & colitur, non pro idolo. Vide Canisium in opere de S. Maria.

7. Mentitur §. citato. Christo corpus incorporeum & immensum affingi. Neq; enim corpus incorporeum esse Catholicis Doctoribus potest, sed quicquid corpus est corporeum illis est, nec quod certis locorum spatijs finitum

tum est, infinitum illis in scholis Philosophicis Theologicisq; dici solet.

8. Mētitur §. 43. Christi officia creaturis mortuis à nobis tribui, atque adeo frustulo panis. Christus per seipsum nobis Mediator est, alij vero per Christum & eius merita, ipseque est qui adoratur sub specie panis.

9. Mentitur ibid. Mariam mortuam adorari à Catholicis. Viuit virgo Maria in cœlis, & te etiam iudice vt minimum viuit eius anima immortalis, potestq; intelligere, velle, intercedere pro alijs, sicut potuit, quando erat nobiscum in terris. Nec hæc latriæ cultu adoratur, sed vt Dei creatura honoratur.

10. Mentitur ibidem ad Mariam, vt omnipotentem Dominam accommodari totum Dauidis psalteriū. Ornatur quidem vt Christi genetrix & sponsa, psalterio nonnihil ad alium sensum deflexo. At vt Dea quædam omnipotens nequaquam adoratur, quibus tamen titulis Caluinianæ mulieres honorantur. Sic enim Aschamus inter Epistolas fol. 255. ad Elisabetham caput & Papissam Ecclesiæ Caluinianæ dum viueret.

Salue Diua tuæ patriæ decus, optima salue
Princeps Elisabetha, tuis Dea magna Britannis,
Pande tuis iam fausta noui noua tempora secli.
Ciuibus imperium placidū, mundumq; benignum,
Lætaq; temporibus nostris da tempora Diua
Tu Britonum tu sola salus, tu sola tot annna.

Præ

Præ hac Apotheosi & adoratione Caluinisticaiocus est Ecclesiæ Catholicæ Hymnus: Salue Regina, & quicquid est aliarum sacrarum cantionum. Ecce enim Elisabetha nõ Baptistæ mater, sed Henrici VIII. Anglorum regis filia, caduca & exul in hoc mundo fœmina, mulier morbis mortique obnoxia, Diua est, imo Dea, & quidem magna Dea, quæ consors imperij diuini, vna cum Deo & fausta noui noua tempora sæcli pandit & læta dat tempora Caluinianis ausis. Hæc est non tantum vita, dulcedo & spes afflictæ rei Sacramentariæ, sed excluso, vt verba sonant, Christo est sola salus & sola columna. Hæc meus vel nescit vel nescire se mentitur Prædicans, solum in ore illius est: Salue Regina, at: o Elisabeth salue Diua tuæ patriæ, vt surdus non intelligit: sola peccat Ecclesia Catholica cum canit Vita, dulcedo, &c. at non peccat synogoga Caluiniana cum iubilat exultatque canens: Tu Elisabeth, tu sola salus tu sola columna. Quod si hæc, vt delicias poëtarum, tibi libet excusare, cur totam antiquitatem in suis illis melodijs non pudet culpare? cur non vt in tuis hæc tanquam lepidè, pulchrè, diuinè dicta laudantur, ita in Catholicis (si non aliud) saltem tolerantur? Sed huc cœcitatis furor Caluinisticus præcipitat hunc Caluangelij præconem, vt non videat suos si qua est noxa in verbis, grauiori culpa

constringi, & proinde non aduersarios, sed suos etiam à se grauius perstringi, nō iam tantum à fustuario Turcico, sed etiam à furore Poëtico (propter enthusiastas Caluinianos immerito castigatos) sit ipsi pertimescendum. Sed hæc hactenus pro thesibus stulto secundum stultitiam sint respōsa, cui tamen ex animo precamur, vt resipiscat, agnoscatq; amentiam quæ eum rapit transuersum à veritate Apostolica, Catholicaq; religione, in qua vna & sola saluus fieri potest.

FINIS.

Errata sic corrige.

Pag. 3. l. 22. Libertinarius, leg. Libertin Atheus. p. 4. in margine Caluinistæ. p. 12. l. 8. Item, pro idem. f. 14. l. 5. atheus. p. 22. l. vlt. lege Addamus. f. 54. l. 8. leuissimis. p. 67. l. 20. exitium. p. 68. l. 6. opprobrat. p. 80. li. 14 Concilioue. p. 81. li. 11. lege concupiscentia. p. 94. li. 29. existendi. p. 95. li. 4. esse in illa. p. 123. l. 14. lege vibiam vara. fol. 131. li. 11. oberrare & li. 25. Probabilius & f. 135. li. 2. dele Foxus. p. 157. li. 27. Sathana. p. 170. f. 2. lege coniecturæ. p. 171. li. 12. hæc responsio. p. 186. li. 17. lege iste. fol. 88. li. 9. carpere. p. 192. li. 26. quiritentur. fol. 199. li. 17. lege quo & eadem li. redditurus. p. 221. lin. 2. adde & lege omnes non sunt. p. 223. li. 20. curat. p. 224. li. 10. ὁμοούσιον. fol. 245. lin. vlt. in ea. fol. 261 lin. vlt. pro & lege ex. p. 296. lin. 10. κεκωριτωμένη.

BIBLIOTECA CENTRAL ESTATAL ASUNCION
Leit.
13501/a - 1979

